II.

JOANNIS BAPTISTÆ MOLINARII TRIDENTINI

DE

APOPLEXIA

SPECIMEN





Excudebat Vindobonæ

ANNO à R. S. CIϽ IϽ CCLIII.

THOMAS TRATTNER.

Rationalem quidem puto medicinam esse debere : Instrui vero ab evidentibus causis, obscuris omnibus, non a cogitatione artificis, sed ab ipsa arte rejectis . . . . Verumque est ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam. Cels. lib. I. I. præf.

Graviora, quæ irrepſerunt, mẹnda, ita antequam legas, corrigito.

Præfatione.

Pagella V. *articuli* 20. *linea* 3. *loco* vetat *lege* negat.

Parte prima.

Numeri	28.	*linea* 5.	*loco*	potentiæ *lege*	obſtantiæ
	36.	3.		ſubitania	ſubitaria
	43.	2.		Hydatitibus	Hydatidibus
	71.	1.		diſrumpatur	diſrumpantur
	98.	2.		flam̃aſcentem	flam̃eſcentem
	133.	2.		Simptomata	Symptomata

Parte ſecunda.

Numeri	2.	*linea* 4.	*loco*	prænoſcete *lege*	prænoſcere
	78.	2.		Celſus	Cœlius
	80.	2.		indicarat	indicaret
	98.	1.		ſemoribus	femoribus
	101.	3.		tracto	ſucto
	111.	4.		diarrhæam	diarrheam
	139.	4.		cruote	cruore
	143.	1.		inierdum	interdum
	168.	9.		a morbo ſolidorum	morbo ſolidorum
	171	2.		olim pulvis	olim cum pulvis
	eod.	4.		aut pilulæ	tum pilulæ
	203.	2.		eum	cum

Cetera, quæ leviora ſunt, aut ad interpunctionem pertinent, intelligentis Lectoris erit emendare.

Hippocratis verba ex Fœſiana interpretatione deſumſimus, quam, Freindio probante, aliis omnibus anteponimus.



PRÆFATIO.



Uæ ratione ſuſcipiuntur, ſi inanis gloriolæ, non publicæ utilitatis cauſa ſuſcipiuntur, bono cive, opinor, indigna ſunt. Eapropter, cum ego nec ingenio nec doctrina ita polleam, ut vel novi quid in artem medicam afferrem, vel quæ ab aliis dicta ſunt, illuſtrarem, abſtinui hactenus conſulto a ſcribendo; ne rempublicam inſulſa garrulitate (odi enim loquaces) fatigarem. In quo propoſito uſque ad vitæ exitum permanſiſſem, niſi inopinato legibus in ſcientiarum artiumque commodum nuper ſancitis, eſſet mihi obtemperandum.

Cum primum itaque novi impoſitam mihi ſcribendi neceſſitatem, cogitavi, num qua poſſem diſcentes in medicina faciunda, in quo ſumma eſt artis difficultas, juvare.

Animadverti ſiquidem ſæpenumero, tirones alioqui ingenioſos, & in artis fundamentis perſcrutandis haud ſegnes, cum ad lectulos ſeſe transferunt, paratam quidem habere ampliſſimam vocum ſupellectilem ad ſpectaculum peropportunam, ad morbos vero diſcernendos, ægrosque levandos ineptiſſimam.

Huic rei, quoniam artem, Rempublicamque peſſumdat (nam hoc pacto circulatorum numerus augeſcit) afferri medelam poſſe ſaltem in parte judicabam, ſi eodem tempore, quo ſingulæ partes, functionesque humani corporis deſcribuntur, ſubjungerentur quaſi in tabella aliqua conjunctim deſignatæ eædem partes, functionesque, prout morbis cuicumque peculiaribus afficiuntur: ita ut admiſſus, & veluti manuductus ad eas contemplandas tiro effingat ſibi notiones corporis cum ſani tum morboſi dilucidas, diſtinctas, nec facile evaneſcentes.

Hoc pacto quilibet vel tardior ſingula medicinæ membra, quæ diſperſim, ut in ſcholis ſolet, perceperit, valeret in corpus quoddam utibile redigere: quod nec omnibus, nec niſi poſt longam exercitationem conceſſum eſt.

Cum itaque ſatis longo artis apud varias gentes in Valetudinariis, & in populoſis regionibus uſu, id aſſecutum me eſſe arbitrer, ut mediocriter ſaltem diſtinguam, quid utile, quid non in arte contineatur, ſperabam me rem nec infructuoſam, nec ingratam diſcentibus facturum, ſi quid tale auderem.

Propterea cepi in chartam conjicere, quæ ad noſcendos, ſervandos, reſtituendos humani corporis motus, ſenſusque pertinere exiſtimabam: Nam de univerſa medicina ſi voluiſſem agere, homo eſſem omnium confidentiſſimus.

Caro-

Carotidum itaque vertebraliumque ductum sequutus decreveram conformationem cerebri, tegumenta, usum exponere: ut deinceps de ortu, distributione, munere nervorum; de eos permeante, nutriente, roborante liquore illo, quem spiritum appellant: De universis tandem, quæ nobilissima isthæc sensus, motionisque instrumenta cum lædere tum juvare valent, ordine differerem.

Reor quippe (ut suum cuique est judicium) ad ingerendas in aliorum animos de quibusque rebus notiones, nil naturæ consentaneum magis, ac methodus illa, quam scholæ Resolutoriam *vocant, & optimam esse ajunt ad inveniendum.*

Ea siquidem id, quod primo in sensus incurrit, ponit ante oculos designatum notis certis ac dilucidis, persequiturque ita, ut ab ea notione, circa quam versari velimus, deerrare nequeamus: Quemadmodum haud raro accidit in compositoria, *quæ subtiliter abstrahendo subtrahit oculis rei exemplar, efficitque, ut alio nec volentes divertamus.*

Nec intelligere cum acutissimo * *Condillaco* ** *valeo, qua de causa via, quæ mihi profuit ad rei alicujus ignotæ vestigationem, obsit, cum alios ad ejusdem rei sibi pariter ignotæ comprehensionem velim perducere.*

At cuique placent sua: Quid mihi placeat, expono: Nec is sum, qui velim compellere alios, ut probent, quod ego probo.

Hisce meditationibus dum impertio id temporis, quod a medicina assidue faciunda supererat, sentio instare diem ad scriptio-

 nem

* Encycloped. Præf.

** Essais sur l' orig des conoiss. hum. Part. II. sect. II. cap. 4. §. 51. pag. 287. tom. 2.

nem vulgandam præscriptum, quem protendere nefas. Quoniam ergo operi, in quo de vitæ incolumitate, suavitateque agitur otii, quod satis est (nam ingenio sum infœcundo, morosoque) impendere non potui, argumento hoc in opportunius tempus seposito, statui modo apoplexiæ tantum signa, causas, proprietates, curationem pertractare : Ut exhibeam saltem specimen aliquod methodi, quam utpote in morbis describendis commodiorem mente concepi.

Sistit enim in parte priori coram legente signa, e quibus illico pateat, quid res sit, quam tractamus : Vestigat deinde effectuum causas : refert, quid dissectiones cadaverum manifestarunt : tum solidarum, fluidarumque partium vitia : inde quæ corpora præ ceteris morbo huic subsint : quæque eum excitent causæ : qui denique ab aliis sibi cognatis morbis differat.

In altera vero exprimuntur variæ ejus species, cujuscumque initium, progressio, exitus, tam cum naturæ leges agunt suopte ingenio, quam cum a medicina interturbantur. Ex quo cum judicatio, tum curatio desumitur, uniuscujusque temperaturæ, ætati, sexui accommodata. Monita subinde intersero, haud mediocriter, nisi me fallit animus, conducibilia.

Id vero persequor per summa capita. Etenim probe scio abesse opellam hanc quam longissime ab ea perfectione, quam materiæ gravitas, ætasque mea postularent. Debuissem enim antequam de apoplexia verba facerem, pandere minutatim sensus, motusque naturam. Singulæ deinde apoplexiæ causæ confirmandæ fuissent accuratis, multiplicibusque observationibus. Medicamentorum denique effectus exponendi haud quidem ratiunculis, plerumque vanis inficetisque, sed repetitis nec fallentibus experimentis.

Hinc

Hinc mirum non erit, si plura leviter, aliqua extra ordinem, nonnulla perturbate attulerim. Nam ut de aliis taceam, non ea solum, quæ de motu sensuque, sed & ea, quæ de corde, sanguine, temperamentis perspicuitatis causa alieno in loco differo, tractationem ipsam melius præcessissent.

*Si quid igitur pretii habitura sit disputatio isthæc, id unum erit, quod delineet ordinem, quo quæque in certas classes distribuantur, prout sibi succedunt: ita ut possit quilibet memoria rem totam impermixtam comprehendere, & ad arbitrium recolere. Quin habeat designatus veluti stationes, in quas aphorismorum in morem, quos Baglivius * merito in usum revocatos vellet, locet quæcumque legendo, meditando, observando adnotaverit.*

Vitavi cum prolixitatem, quam plures studiose quærunt, ut habeantur docti; tum brevitatem, ne videar expetere enarrationes longas, ut docentibus aptas, ita legentibus ob repetitas pluries easdem sententias, perturbatumque ordinem, molestissimas.

Dictione usus sum nec artificiosa, nec sublimi, sed simplici, qualem decet Hippocratis, Celsique imitatorem. Ornari enim res ipsa vetat contenta doceri. ** *Nec nobis aliud studendum, nisi ut morbos cognoscamus: nam* qui sufficerit ad cognoscendum, *ut Præceptor *** ait*, sufficit ad sanandum: morbi *autem* non eloquentia, sed remediis sanantur ****. *Hinc latinitatis non fui eo sollicitus, ut refugerim voces formulasque eas, quas Latio quamvis ignotas Natio medicorum civita-*

* Prax. med. lib. I. cap. 9.
** Manil. astronomicon. lib. III. v. 39.
*** De arte num. 20.
**** Cels. libr. I. Præf.

*vitate donavit. Quas ille, qui se ait scribere, ut populi valetudini prospiciat, si respuerit, vel ipsius Ciceronis * Maniliique judicio ** condemnabitur.*

Quandocumque Hippocraticas sententias adducimus, sequimur quidem compendii causa vulgatam consuetudinem; attamen haud nos latet, Hippocratem non omnium, quae ipsi tribuuntur, esse parentem.

*Haec habui, quae praemittam, ut doctorum virorum justas reprehensiones praeoccupem: Quod nempe ego natus in eo solo, quod Germaniae, Italiaeque, illustrium doctrinae domiciliorum civitate fruitur; quodque aluit Mathiolos, genuit cum Alexandrinos gravissimo Thuani *** elogio immortales, tum Guarinonios, Melchiorios, Michelotos Viros Medicinae scientia, libris editis, honoribusque clarissimos disputationem emiserim tumultuariam, inelaboratamque.*

Non deerit certe occasio, qua ostendam voluntatem aemulandi Cives istos meos a me non abesse.

Quomodocumque autem se res habeat, profiteor me id unum propositum habere, ut percelebri Medicorum hujus urbis Collegio observantiam meam testatam faciam: Quorum animadversioni opellam hanc, qualiscumque sit, subjectam volo.

* De finib. lib. III. sub init.
** Astronomic. lib. III. v. 40.
*** Hist. libr. XCIX. anno 1590. tom. IV. pag. 898. edit. Londin.

DE



DE
APOPLEXIA
PARS PRIMA
SECTIO I.



1 MEdicinam artem ſcilicet longam, periculique plenam facturum decet cumprimis morborum ſpecies prænoſſe: inde enim pendent judicium, & curatio. Morbos pateſaciunt ſigna. Ex horum ergo recenſione auſpicandum.

2 Nos propterea ad Hippocratis exemplar, quod in ſcientia naturali pertractanda magno Verulamio duce philoſophi præſtantiores in uſum revocarunt, definiemus apoplexiam ita, ut vel primo obtutu, quid hac voce ſignificemus, internoſcatur.

3 Morbus ergo, qui eos, in quos ſive præſenſus, ſive nec opinabilis irruit, vel enecat illico; vel cordis motu, pulſibus arteriarum plus minus turbatis, reſpiratione que difficili, varia, ſtertentisque plerumque ſimili ſuperſtitibus, ſenſibilitate prorſus, æque ac motione illa, quam voluntariam vocant; ejus vero, quæ a partium diſpoſitione cum pendeat, appellari poteſt machinalis, exiguo interdum relicto veſtigio privat; ita ut æger veluti alto ſomno occupatus artubus prolapſis, ore interdum hiante ſpumanteque: oculis modo apertis, & languentibus, & non raro convulſis; modo clauſis, facie modo ad aliquot tempus colorata & turgenti, modo illico pallente, ſubſidenteque, calore modo ſuperſtite, modo prorſus evaneſcente, repente ſternatur, Græcis *apoplexia*, Celſo *nervorum reſolutio*, & ut vulgo creditur, *morbus attonitus*, Latinis ſequioribus *ſideratio*, Germanis *percuſſio* appellatur.

4 Genus morbi teterrimum, qui mortales quibus vitam indulget, ita plerumque peſſumdat, ut videatur optabilius periiſſe, quam illi ad ſpiritum miſere trahendum ſuperſuiſſe.

5 E ſignis, quæ morbi effectus ſunt, in cauſas inquirendum eſt. Inſigniores, quæ hic apparent, turbæ ſunt, ſenſibilitatis, motionisque exſtinctio, pulſibus, reſpiratione que haud ſublatis. De his itaque loquemur primo.

6 Qui philoſophandi libidine ad ſcribendum proritantur, phænomenorum omnium rationes introſpicere putant facillimum. Nos contra, quibus ante oculos obverſatur illud Celſi (1); *Quæ cauſæ vel ſecundam valetudinem præſtent, vel morbos excitent, quomodo ſpiritus, aut cibus vel deferatur, vel digeratur, ne ſapientiæ quidem Profeſſores ſcientia comprehendunt, ſed conjectura proſequuntur*, iſtud pro dignitate præſtare difficillimum arbitramur.

7 Plu-

(1) Præf. lib. I.

7 Plura ſane, ut notum cuilibet eſt, proſtant de arte univerſa, præclare hercle, excogitata ſyſtemata : At in quibus, niſi velimus ſponte cæcutire, plus opinioni, quam veritati datum eſſe intelligimus (2). Natura enim vel in minimis rebus tam varia eſt, tam late patens, tantis tenebris obvoluta, ſenſus noſtri, tam hebetes, tam infirmi, mens denique tam anguſtis limitibus circumſcripta, ut negatum mortalibus videatur non dicam corporis humani machinam, ſed nec exiguum arenulæ granum penitus comprehendere. Hinc periculum eſt, ne ab eo labore, unde gloriam exſpectamus, prudentium virorum reprehenſionem reportemus. (3)

8 Pauca igitur de hoc argumento, quæ veriſimiliora putabimus, proferemus : relicta cuicumque aliter ſentiendi libertate. Abhorremus enim quam longiſſime ab illorum ſtolida impudentia, qui vel inepte deſpiciunt, vel ſatis pro imperio damnant id, quod tenebroſo eorum cerebro fors non illeverit. Nam hæc Celſo judice (4) ut utilia artifici ſunt, parum tamen ad artem. At ea, quæ potis ſunt conferre ad averruncandum morbum, quod artis eſt, diligentius ac fuſius verſabimus. Genus enim humanum a nobis expetit non quidem verba, ſed facta.

9 Et ut a motus ſenſusque exſtinctione exordiamur : Humani corporis bene valentis nervos ita eſſe comparatos, ut mentem tactionum, quas ipſi patiuntur, quaſi admoneant : eique viciſſim eos tendere, laxare, reſtituere volenti, corde excepto, quod ſuapte natura, mente vel reluctante movetur, obſecundentur, nemo ſui compos in dubium revocat.

10 Qua ratione id peragatur : Incorporeane illa Divini oris aura corpus tangat, ab eoque tangatur : Ab ipſone ſummo

(2) Anatom. D'Heiſter avec des Eſſais de phyſique : preface ed. 1735. 8vo.
(3) Hiſt. naturel, & deſcript. du cabinet du Roy tom. 2. pag. 515. ed. in 4to.
(4) Præf. lib. I.

Numine per vices, ex eo, quod corpori aliquid accidat, edoceatur: An ita conformata sit, ut vi sua perceptiones in se excitet ex æquo respondentes motibus, quos corpus sibi conjunctum editurum est, quoniam a philosophis magni nominis ingeniose in utramque partem disputatur, non est meum definire.

11 Consentiunt tamen fere omnes in hoc: Mirabilem istum concentum mentem inter & corpus lege a supremo rerum arbitro sancita tunc adesse, quandocumque humores libere omnia corporis vasa circumeant; ut liquori, quem a mobili partium exilitate spiritum vocant, liceat pervadere nervos, eisque motus elastici augmentum, tremulam vim, sensilitatemque impartiri.

12 Ex hoc enim fit, ut nervi rerum extrapositarum impressiones excipiant, easque ad sensibilitatis, ut loqui amant, sive emporium, sive commune sensorium, qualecumque illud sit, propagent. Hinc ideæ excitantur in mente, quas hæc utpote natura cogitans distinguit, confert inter se, & prout ipsi libuerit, judicat, deliberat, agitque.

13 Quotiescumque igitur spirituum e cerebro ad sensus, motusque voluntarii organa fluxio suspenditur, fibrillæ nerveæ vibrandi vi despoliantur, rerumque exteriorum impressiones vel non excipiunt, vel si exceperint, protrahere ad emporium non valent. Quamobrem statim ac motus hicce nervorum tremulus perit, continuo mens sentiendi, percipiendi, judicandi, corporique, ut ita dicam, imperitandi facultate destituitur.

14 Quantum vero attinet ad explicandum, quare in tanta corporis perturbatione pulsus & respiratio perseverent, intricatum vestigatu est.

Utrum-

15 Utrumque ſane pendet a corde. Vulgatum eſt cordis motum pendere unice a ſpiritibus, qui e cerebello ad ipſum transſmittuntur, ita ut ſtatim ac iſti inhibeantur, illud e veſtigio ſubſidat. Quapropter qui hoc pro comperto habent, ajunt, ideo pulſum ac reſpirationem manere, quia cerebellum compreſſum non eſt: Nam a cerebelli compreſſione, ut pronunciant, illico mors.

16 At neſcio utrum clientela iſta, qua vita cordis in cerebelli poteſtate ſit, pateat tam manifeſto, ut de ea dubitare non liceat. Obſervationes certe & experimenta illam ſi minus evertunt, ſaltem infirmant. (5)

17 Quid ergo dicendum? Fateor me in hac ambiguitate non auſurum proloqui, niſi auſpicato, & in Tentaminibus phyſicis ad anatomiam Heiſteri jure a ſagaci naturæ interprete Buffonio (6) commendatis, & in præſtantiſſimo de Structura cordis opere, nobile Galliæ ornamentum Senacius (7) mentem ſuam reſeraſſet.

18 Liceat autem hic mihi Italo, & Malpighianæ Lanciſianæque diſciplinæ alumno publice profiteri, me viro incomparabili debere plurimum; cum quod ex ejus ſcriptis haud mediocriter profecerim, tum quod ipſe omni laudum genere digniſſimus de præceptoribus meis, deque Itala in univerſum gente haud abjecte, ut rabioſuli quidam at edentuli catelli, ſed magnifice, ut docti ingenuique cum ſuæ (8) tum aliarum gentium (9) homines ſolent, ſenſerit, ſcripſeritque: (10)

 Scio

(5) Memoir. de l'acad. Roy. des ſciences 1716. p. 435. ed. Amſtel. ; Hiſt. de l'acad. 1702. p. 39. ; 1703. p. 33. & p. 69. 1711. p. 33.
(6) Hiſt. natur. & deſcript du cabinet du Roy. tom. 2. pag. 515. ed in 4.
(7) Encyclopedie par diderot. & alembert. artic. anatomie.
(8) Encyclopedie diſcours prelim. pag. XXI.
(9) Boerhav. orat. de ſtudio Hippocratico; & or. de uſu ratioc. mechan. in Medic.
(10) Senac traite de la ſtruct. du cœur. tom. I. p. 144. & 147.

19 Scio me obſcuri nominis hominem eſſe : At ingenuus mi eſt animus : officio itaque debito deeſſe non poſſum. Spero autem illum pro humanitate ſua hoc meæ erga eum obſervantiæ, gratique animi teſtimonium haud dedignaturum.

20 Ejus itaque ductu auſpiciisque ita ratiocinandum arbitramur.

21 Certum eſt cor eſſe muſculum. Muſculi contrahuntur non quidem vi propriæ texturæ, ſed & altera cum interiori, quæ eos reddat contractiles, tum exteriori, qua contractilitas iſta exeratur.

22 Textura propria, quatenus fibra eſt conſtans e terra oleoque eam compingente, contractilis natura non eſt. Opus ergo habet aliqua re contractili, quæ in ejus interſtitia ſe inſerens agat in eam alternatim, illamque reddat contractilem. Muſculi, qui voluntati conſentiunt tunc agunt, cum a ſpiritibus e cerebro per nervos tranſmiſſis impelluntur. Quibus deficientibus muſculi flacceſcunt.

23 Id igitur, quod muſculis contractilitatem tribuit eſt id quod appellatur ſpiritus. Spirituum omnium officina videntur eſſe eæ partes, unde nervi originem ducunt : quod generatim eſt cerebrum : & fortaſſe illius defectu ſpinalis medula : nam de cerebello, ut diximus, haud conſtat.

24 Quo magis muſculi fabrica intricata eſt, eo diutius valet ſpiritus in illam fluentes retinere. Cor a muſculis reliquis differt ſtructura, propterea quod fibras habet varii generis & valde implexas inter ſe. Cor itaque præ aliis muſculis aptius eſt ad retinendos ſpiritus.

23 Non habet ergo opus perpetuo eorum fluxu, ut contractilis ſit, quemadmodum ceteri, qui ſtatim ac fluxio ſpirituum ſub-

ſubſiſtit, flacceſcunt. Etiamſi igitur fluxio iſta ſubſtiterit, cor non privatur contractilitate ſtatim, ideoque potens eſt contrahi etiam poſtquam é corpore extractum eſt.

24 Ut vero reapſe contrahatur, indiget cauſa aliqua externa: muſculi enim ſtatus naturalis eſt, ut ſubſidat. Cauſa iſta eſſe nequit calor, nam in homine exſtincto calor haud illico deperit, præſertim in corde, quod tamen minime movetur. Cardimelec, archæus, ſpiritus præſidens, anima regens commenta ſunt.

25 Quoniam vero cor, aut punctum aut alia aliqua re irritatum movetur, manifeſtum eſt, omne id, quod illud irritare valet, poſſe illud movere. Hoc autem eſt ſanguis, qui appulſu ad cordis parietes, efficit, ut illud contractilitate ſua viciſſim agens cum excipiat ſanguinem, tum exprimat.

26 Quotieſcumque igitur ſanguis fluit, cor movebitur: ab eoque adigetur ille invicem ut fluere poſſit. Quod ſequetur, quouſque ſpiritus fluant ad cor, aut illi, qui intra fibras cordis ſunt, non diſſipentur, aut denique ſanguinis fluxio non impediatur, nec retardetur.

27 Hinc pulſus erit validior, quo flacceſcentes corporis partes premendo canales curſui ſanguinis cordis vi ſuperſtite acti plus minus obſtabunt. Cordis enim vis, licet nobis ad amuſſim haud explorata, tanta nihilominus eſt, quæ vires renixusque partium reliquarum corporis ſuperare valet. Eapropter licet partes corporis reliquae contractili ſpiritu deſtitutæ vaſa pondere magno premant; circuitus tamen ſanguinis, & cordis motus non ita facile ſubſiſtent. Quin & intercepta prorſus ſpirituum ad ipſum fluxione perdurare motus hicce ad plures horas potis eſt.

28 Eadem de cauſa cum pulmo & thoracis muſculi flacceſcant, fit, ut cor quatenus validiori vi pollet, valeat pulmoni mo-

motum aliquem inferre; iste vero nequeat sese expedire ea facilitate qua in statu sano solet, cum propter æquilibritatem nullæ sibi validiores justo vincendæ sunt potentiæ. Eapropter difficilis est respiratio, sensimque difficilior fit, quo magis partes flaccescendo obsunt cordis motui: ut & pulsibus accidit morte impendente durissimis.

30 Hinc aër violenter trusus è pulmone ronchos excitat, quod propter musculorum laryngis palatique laxamentum in exitu præpediatur. Unde quo morti propior est homo eo magis ronchi augentur.

31 Ex his igitur, quæ de morbi hujus effectibus commentati hactenus sumus, conjicimus apoplexiam, quæ corpora tota percellit (nam de ea tantum agimus) præsto esse, quandocumque secretio distributioque spirituum vel prorsus, vel in ea saltem parte, quæ ad sensum voluntariasque motiones necessaria est, suspendantur.

32 Conjecturæ tamen hæc sunto. Nam licet spiritus reapse esse, nervosque permeare probabili ratiocinatione ex analogia corporis, & è quibusdam experimentis inferamus, inficiandum tamen non est, posse nos in hoc, haud secus, ac in eorum origine, natura, proprietatibus hallucinari.

33 Cerebri scilicet fabrica, quam primariam vitalium spirituum officinam vulgo existimamus, mortalibus oculis impervia est, ut Steno Anatomicus Physicusque, vel ipsius summi Leibnitii judicio (11) magnus, haud dubitaverit in oratione, quam tanto præceptore dignus auditor Winslowius (12) refert, palam affirmare, se & eos, qui ad suam usque ætatem de hoc viscere, in quo animus sedem locasse videtur, loquuti fuerant, summam ejus ignorationem professos esse. Quod ce-

(11) Essais de theodic. part. 1. n. 100.
(12) Winslovv. expos. anatom. tom. IV. p. 459. Paris. in 12mo.

ceteri, qui de eo hactenus differuerunt, vel aperte confirmarunt, (13) vel perplexo vagoque scribendi genere satis superque significarunt.

34 Ex hac tamen ignorationis professione, quam a sincero pectore veri amor depromit, haud sequitur, ut temere vulgus blaterat, medicinam esse præstigium quoddam fraudolose adinventum, quo incautis bene nummatis illudatur. Injuria Deo vox, dignaque hominibus ratione abutentibus. Impium enim est putare optimum misericordemque generis nostri conditorem tribuisse nobis corpus fragile caducumque, levamen vero vel denegasse vel invidisse, ac si nos ad cruciatus, quibus ipse delectaretur, procreasset.

35 Utcumque igitur plurima nobis prudens subduxerit, concessit tamen id, sine quo vita esset prorsus infelix. Quod & prævisi & cogniti & depulsi a peritis artificibus morbi testantur.

SECTIO II.

36 PRætermissis itaque sublimibus arcanarum rerum contemplationibus descendamus ad ea perlustranda, quæ in cadaveribus illorum, qui subitania morte corruerunt, indesatigabilis Anatomicorum industria detexit, ut deinde, quæ causæ apoplexiam excitent, quæque corpora præ ceteris videantur illi subjecta, quoad nobis licet, pervestigemus.

37 Historiæ, unde hauriemus ea, quæ expositurí sumus, debentur Bonetto (14) & Wepsero (15) accuratissimis morbosarum cerebri affectionum promicondis.

 Vel-

(13) Senac. L. III. Cap. 3. tom. 2. p. 74.
(14) Sepulchr. anatom.
(15) De morbis capit.

38 Vellemus autem licere nobis hic loci proprietates historiamque cujusque humoris in hoc morbo repræsentare. Quoniam vero viri isti dexterrimi nequiverunt in fluidas partes inquirere ea diligentia, quam certe adhibuissent, si sanguinem pluribus constare partibus natura inter se prorsus diversis suspicati essent, utemur vocibus, quibus ipsi usi sunt, donec quid dilucidius ab experientia sive nostra, sive aliorum edoceamur: de humoribus nostris paulo inferius eloquemur.

39 In cerebro ergo

I. Vel nihil apparuit, ut cum in quibusdam fœminis, & infantibus, qui e convulsionibus, tum in aliquibus, qui ex valida cerebri concussione perierant.

II. Substantia tota aut in partem fuit inflammata.

III. Vasa erant ultra modum sanguine, serove turgentia.

IV. Substantia cerebri nimis flaccida, imo ex Garnero & Brasavola (16) pene consumta.

V. Sanguis, lympha, serum, pus eruperat, vel quia exsudaverat, vel quia vasa diffregerat. Nam qui scripsit, quique probavit vasa corporis diffringi non posse, judicandus est ea ne per somnium inspexisse.

VI. Tegumenta aut nimis tenta erant, aut laxa, aut quo vitio corrupta.

VII. Aër intra cerebrum, & ejus membranas conclusus.

40 Quoniam vero hæc accidunt solidarum, fluidarumque partium vitio, utrasque perpendemus. Perspicuitatis autem gratia incipiemus a solidis progressuri deinde ad fluidas.

41 Vi-

(16) Lazerme de morb. capit.

41 Vitiis, quæ ſubinde in earum quaque ſingillatim animadvertemus, adjiciemus rationes, propter quas autumamus cerebri munia ex iis turbari: Sed pauciſſimis conceptas verbis, ne fortaſſe medicinam rem ſimplicem, verecundamque obſervationes tantum, & experimenta deſiderantem, vocibus ſignificatione nudatis infuſcantes, videamur voluiſſe doctrinæ famam garriendo, ſophiſtarum more aucupari. Non enim voluminum, quæ ſcombris piperique cucullos præbitura olim ſunt, moles, ſed propriarum virium diffidentia medicum a ſycophanta diſcriminat.

42 Ac I. Cerebrum ipſum introſpiciamus. Peccare itaque poteſt.

I. Textura, ſi enim fibræ, quibus illud conſtat, molles vel firmæ plus juſto ſint: ſi figura ejus aliqua in parte, ut in monſtris, manca ſit, humor vel non permeabit, vel lente fluens reſtagnabit, aut cordis validiori vi pulſus vaſa diſrumpet.

43 II. Adnatis: Tumoribus nempe, abſceſſibus, ſcirrhis in meditullio, medullaque oblongata: Hydatitibus, varicibus, aneuriſmatibus, concretionibus ſinuum.

44 III. Extrinſecus advenientibus.

I. Vulnere, quod tamen ſit altum. Conſtat enim corticalem ſubſtantiam læſam, & ad ovi columbini magnitudinem extractam ſine apoplexia: Quin & ægros hosce convaluiſſe prorſus, ut præter aliorum teſtimonia obſervavi ipſemet in homine, qui mihi ſe commiſerat.

45 II. Concuſſione valida, quæ vaſcula vel reſolvit, vel diſcindit, vel e naturali ſtatu deturbat, ut fluidarum partium liber curſus aliquo temporis ſpatio turbetur, & for-

taſſe vaſa ad ſanguinem ultro pellendum inepta, cordis pulſibus non remittentibus repleantur, tendanturque ad aliquod tempus, quousque iterum quavis de cauſa contractilitatis vim recuperent.

45 Accidit enim mihi, ut ad juvenem trigeſimum ætatis annum agentem caſu ab alto apoplecticum advocarer. Ecchymoſis ſupra ſiniſtrum bregmatis os haud procul a ſutura ſagittali fecit, ut calvariam vel deſidem, vel fiſſam ſuſpicarer. Tumorem ergo ut aperirem, ad calvariam detegendam arteriolas, in quibusdam calvariis e binis foraminibus haud procul ab eadem ſutura prodeuntes, quas vitare nequibam, incidi. Sanguinem copioſum filis carptis repreſſi, ad ſequentem diem perioſtii ſeparatione, terebrationeque, ſiquidem opus eſſet, dilata. Aſt noctu jugi ſanguinis e vulnere eruptione vaſa interiora contractilitatem recuperarunt, ita, ut ſequenti die ægrum ore, induſioque ſanguineo fœdatum ſtupens invenerim ſanum, & cum congerrone ſuo ſuaviter colloquentem. Vulnus facili opera coaluit.

46 Hæc in cerebro ipſo.

Duræ matri vero accidunt.

I. Craſſities præter naturam ſive a ſeminio, ſive a morbo.

47 II. Falx meſſoria in cartilaginis morem obdurata, quo actio ejus retardatur, vel ceſſat.

48 III. Concretiones polypos imitantes, calculive intra ejus ſinus, præcipue longitudinales, a quibus refluxus ſanguinis prohibetur.

49 IV. Pus disrupto abſceſſu effuſus vel ſanguis, qui eam comprimendo idem præſtant perpetuo, quod notæ

apud

apud Gallos fœminæ, cui calvariæ pars deerat, narratur accidisse ad breve momentum quandoque.

50 V. Vasa illius sanguine farcta: Hydatites, calvariæ fractæ particula scabra: Uteri, hypochondriorumque nervi irritati, quibus omnibus illa convellitur, distrahiturque.

51 Calvariam modo, quæ cerebri concameratio est, rimemur.

I. Si ossa male conformata sunt, suturæ vel osseæ vel deletæ, si exostoses, morbida Venus intulerit, impeditur sanguinis circuitus, halituumque perspiratio, unde aucta humorum mole æquilibritas abrumpitur.

52 II. Ossa fracta, fissa, depressa duram matrem premunt, tendunt, laxant, lacerant. Quod præstat & sanguis per eorum rimas vasis externis diffractis interius permeans.

53 Nunc de aliis corporis partibus, ex quibus cerebro noxa aliqua importatur, dicendum est.

54 Itaque si fiant cartilaginosæ, aut osseæ, vel carotides, vel magnæ arteriæ curvatura, quam osseam ante 30 annos in octogenario Polono Romæ in splendido valetudinario, cui a Sancto Spiritu nomen est, observavi; vel demum quæcumque solidæ partes, quibus id vitium advenerit, cum liquidas agere nequeant, sanguinis circuitus sistetur.

55 Si jugulares venæ comprimantur, sanguis redundabit in cerebro, stagnabitque propterea quod duræ matris sinus, qui per eas deplentur, carebunt spatio ad sanguinem jugiter advenientem excipiendum.

56 Si vasa arteriosa in pectore aut abdomine ex aneurismate

te vel vulnere disrumpantur, ſanguis effluet in cavitates, unde non refluet ad cor, quod ſanguinis appulſu ceſſante ſiſtetur, & cum eo circulatio tota deperibit, unde mors. Quam eadem de cauſa infert tumor ingens arteriam deprimens; ſanguis intra pericardium, ſerum denique in pulmones ex repentino pectoris hydrope, quo amicus meus haud multo ante ſublatus eſt, effuſum.

57 Pari modo a convulſionibus coarctata vaſa ſanguinem ad cerebrum adigent, quo tenuiſſimi illius canales comprimuntur, aut a naturali ſtatu dimoventur.

58 Cor item mole auctum, paralyticum, vermibus eroſum; vel ſupra diaphragma prolapſum, quale præter illud, quod ſummus Lanciſius memorat (17) mihi peritiſſimus Lanciſii profector Cajetanus Petriolus in homine, qui in valetudinario Romano ad D. Johannis Lateranenſis deceſſerat, oſtendit. Ex eo enim preſſum diaphragma ſtomachum urget, quo ſanguis ex arteria magna ad ſuperiora transfertur. Lapides pariter in ciſtifellea, aſpera arteria compreſſa, bronchiave obſtructa, ſimiliaque ſolidarum partium vitia, quæ vel præfocare, ſanguinemque vel adigere, vel derivare potis ſunt, quæ recenſere minutim non eſſet poſſibile.

58 Accedamus modo ad fluidas partes. Juvabit autem in anteceſſum de humorum noſtrorum natura aliquantiſper præfari. Etenim qui artem tractarunt, haud ita dilucide de iis diſſeruerunt, ut quid & in illis reapſe contineatur, & quid quoque ſub nomine intelligendum ſit, pateat aperte. Quod vitio illis verti non poteſt, opinor: Occupati enim in artis ambitu univerſo perluſtrando oculos ad ſingula demittere nequiverunt. Quapropter ut ambiguitas omnis, qua nihil bonis artibus detrimentoſius, a ſcriptis noſtris, quoad

(17) De ſubit. mort. obſerv. l. II. obſerv. II.

quoad possumus, exulet, mutuabimur a Senacio (18), quæ ipse obstinato labore experiundo, observandoque in sanguine deprehendit. Præsertim cum videamus illi in plerisque consentire Hallerum (19), cujus singularis in anatomicis, & naturalibus rebus peritia *Musæo contincta lepore* bonis omnibus, quotquot in Europa litteras colunt consentientibus, Germaniam nostram ornat, illustratque.

59 Tria itaque sese nobis offerunt in sanguine cum primum fusus dissolvitur sponte. Oleum rubellum, oleum albidum, aqua luteola.

60 Quod rubet, particulis constat exilibus, satis tamen conspicuis, flammam concipientibus, numero prout corpora sunt, inæqualibus, forma non quidem globosa, ut Lœwenhœkio homini certe acuto visum; sed fortasse lenticulari propioribus.

61 Hæ particulæ, quas cæteroquin firmas, putredo tamen maxime deterit, absumitque, non commiscentur inter se, sed quoniam cohæsionis vi haud exigua pollent, compinguntur simul, quo fit, ut coagmentatione fortuita (nam iterum separabiles sunt) massas conficiant multiformis figuræ, rubore quaquaversum humorem omnem pervadente, nitentes.

62 Hinc quo valentiora sunt vasa, præsertim capillaria, quæ eas attritu majori compingant, sanguis haud tantum in pulmonibus, sed ubicumque illa fuerint, est coloratior.

63. Per eas, quas compendii causa *cruoris* nomine insigniemus, sanguis viget, aptusque est dare membris robur, vivacitatemque. Hisce contra debilitate, otio, morbo deper-

(18) Struct. du cœur. l. 3. c. 4. p. 74. tom. 2. & supplem. cap. 8. p. 654. ejusd. tom. 2.
(19) Primæ lineæ physiolog. cap. 7. p. 93. ed. 2. 1751.

perditis, imminutisve, languent, torpent, ſqualIent, frigent omnia.

64. Albido ſub humore, qui haud uniusmodi eſt, ut plurimi viri boni putarunt, & poſt eos inſulſi quidam ſcriblitarii, meliora nec edocendi, mordicus tenuerunt, latent.

I. Oleum quoddam copioſum cruore levius, putredine pariter deſtructile, haud flammeſcens, quæcumque pervadens; natura tamen cum intra, tum extra vaſa haud raro ſponte, frequentius motione nimia, morbis, ebullitione, in contractilia filamenta inſolubilia, corio interdum duriora concreſcens: *Lympham* vocabimus.

65 Ipſa efficit cum ut ſanguinis partes natura difformes, æquabiliter diſpertitæ contineantur, ne diffluant; tum fortaſſe, ut vaſa cruori impervia roborentur.

66 II. Materies quædam ſale imbuta, aceſcens, difficile putreſcens: natura, etiam cum coacta eſt, fluxilis: univerſi corporis nutritioni dicata (vulgo *gelatinam* vocant) nobis vero propterea, quod in carnium coctione humor hic eſt id, quod jus appellamus; iſtudque aquæ leviter inſidet, lubet illum vocare *rorem*.

67 III. Oleum quoddam ſalibus carens, copioſæ terræ mixtum, calore, aëre dureſcens: nec flammeſcens: nec putreſcens: quin humores reliquos a putredine ſervans: inteſtina, trachæam, bronchia, naſum liniens, quod dicitur *mucus*.

68 Quod omnia iſthæc vehit, oleum aquæ intimius mixtum, facile volatile: haud flammeſcens: cum igne, tum acidarum quarumdam partium commixtione ſpiſſeſcens ita, ut quam ubertim continet aquam, nunquam prorſus dimittat:

tat:

tat: difficulter putrescens: nec minimum acescens: frigore licet percitum, fluens, concreta solvens, *serum* appellabimus.

69 Massa hæc, quæ ad putredinem sponte vergit cum salibus præsertim acidis, licet oleo terræque intimius insertis, ut sese difficulter extricent, tum aëre majorem partem haud elastico fœta: quam alimenta diætim suppeditant: vasa multiplicia consequenter elaborant: natura haud fluida; ita ut causis, quæ illam agunt, pellunt, immutant, cessantibus, immota maneat; & plus minusve cum intra tum extra vasa coaguletur, *sanguis* appellatur.

70 Fluentes itaque partes peccant:

I. Vel defectu, vel copia.

Deficiunt I. Si arteriæ a tumore ingenti, aut quocumque alio modo comprimantur, ut in canibus, qui revinctis carotidibus torpent.

71 II. Si disrumpatur.

III. Si materia aliqua concreta obstruantur.

72 Ex his enim non tantum cordi materies, per quam illud moveatur; sed etiam cerebro id, quod opus est ad spirituum secretionem, subtrahitur.

73 Abundant I. Si vasa ultra modum a sanguine distenta carent repulsu, quod *plethoram ad vasa* vocant medici.

II. Si cor e languore sanguini pellendo impar obruitur, quod dicitur *plethora ad vires*. Ex alterutro enim machinæ universæ motus retardatur, humores consistunt, & utramque cerebri substantiam comprimunt.

C 74 II.

74 II. Qualitate. Nam vel sunt : I. Crassescentes, & minus fluxiles, quæ lente progressæ tenues mollis hujusce visceris anfractus farciunt.

75 II. Compactæ : Si sanguis densior est, ita ut vasa cerebri inferciat, vel e corde ad caput non advehatur : Quod apoplexiæ genus a vasorum interceptione Hippocrates (20) appellavit, cui similis est illa, quam Carolus Piso (21) referendam putat ad cerebri sphacelum Hippocrati (22) memoratum.

76 III. Solutæ : Cum enim humores, qui probe inter se haud commixti sunt, fluitent, fere aquei ; si quavis de causa velocius ad cerebrum pelluntur, aut transudant, aut in grumulos concrescunt. Quod vidi in quinquagenaria vidua leucophlegmatica, quæ me advocaverat. Cum enim post repentinum subdelirium apoplectica obiisset, dissecta conspicuos præbuit ventriculos anteriores albido humore refertos.

IV. Acres, quas scorbuticas, alkalinas, aromaticas, oleosas placuit quibusdam appellare ; (*) fortasse, ut mirabilibus istis vocibus arti splendorem conciliantes a vetulis, ignavisve hominibus curationes minima opera pollicentibus prudenter secernerentur.

77 Eæ enim humores dissolvunt, pungentique salsitudine spasmos inducunt, a quibus illorum cursus interceptus, & repentina corruptio ; ut in disputatione de gangræna, quam paramus, luculenter ostendemus.

78 V. Motu plus justo celeri vel lento. Celer enim vasa

(20) De rat. vict. in morb. acut.
(21) De colluv. seros. p. 104.
(22) De morb. lib. 2. & 3.
(*) Vid. Boerhav. orat. de usu ratiocinii mechan. in Medic.

vasa dilatat, tendit & acore juncto diffringit. Retardatus efficit, ut humores consistant, stagnent, obstipent.

79 Hæc sunt, quibus spirituum secretio, distributioque, quatenus observatum est, impediuntur.

80 Animadvertendum tamen est, omnes istas causas, vel singillatim, vel conjunctim, solere quidem subito hominem insensilem, immobilemque reddere, quin & interimere. At non ideo casus omnes repentinos apoplexiæ adscribemus, quod ab imperito vulgo, & interdum a quibusdam minus cautis medicis, cum artis nostræ dedecore, factum vidimus.

81 Nam turbamenta, quæ inanitio suscitaverit, tribuenda sunt cordis vel circulationis læsioni: quæ vero e convulsionibus, irritamentisve aliunde ac in cerebro natis advehuntur partium peculiarium, unde ortum trahunt, vitio deputabimus. Quod indicat solennis illa distributio in apoplexiam *idiopathicam*, & *sympathicam*.

82 Apoplexiæ enim nomine peculiariter appellanda sunt vitia illa, quæ cerebrum tantum primario afficiunt ita, ut ex istius visceris læsione reliquum corpus intervertatur. Quod ideo monuimus, ne in curatione ab effectuum similitudine decepti adhibeamus ea, quæ adhibuisse pœniteat.

83 Quam tamen cerebri partem apoplexia obsidat, caliginosa nocte premit Deus. Nam si, ut antea diximus, in cerebro eorum, qui apoplectici occubuere, nulla interdum immutatio oculis manifesta inventa est: si restagnatio, eruptiove humorum observatur etiam in iis, qui paralysi tantum laborarunt; si eruptio haud raro apoplexiæ effectus est, non causa: si denique cerebrum abscessu corruptum

ſuit a palpebris usque ad medium (23), nec apoplexia, nec loquelæ impedimento ſubſecutis, quid certi colligere inde poſſimus non video.

84 Eapropter imbecillitatis meæ conſcius definiendum iſthoc relinquam illis, qui gloriæ ſibi ducunt, ſi nec ſuſpicentur, naturam eam eſſe, quæ in pleriſque ad artem reſpicientibus cogat medicum, ut niſi ineptire velit, obmuteſcat.

85 Neque ideo labores, quos præſtantes ſuperioris & noſtræ ætatis medici in cadaveribus incidendis ſuſcepere, inutilitatis arguemus: Quod factum eſt a veteribus empiricis, nuperiſque circumforaneis, neſcio quibus, mira de ſe, quæ tamen latent, prædicantibus, qui rudi popello fraudem facturi, ea quæ ipſi ignorant, impudenter irridendo verboſe traducunt.

86 Qui Pacuvium audiant volo: *Ego odi homines ignava opera, & philoſopha ſententia. Nihil enim* (verba ſunt Gellii) (24) *fieri poſſe indignius atque intoleratius putabat, quam quod homines ignavi, & deſides operti barba & pallio mores & emolumenta philoſophiæ in linguæ, verborumque artes converterent, & vitia facundiſſime ſaccuſarent, intercutibus ipſi vitiis madentes.*

87 Quippe non ex tumultuaria miſelli cujusvis ſcriptoris lectitatione: (*) Non ex fortuita morbi, quem natura ipſa, ſine medici ope, ſanaſſet, curatione: Non ex præconceptis ad arbitrium opinionibus, conſutiſque male cohærentibus ſententiis: Sed ex intenta, nec unquam intermiſſa humani corporis cum viventis, tum vita deſtituti obſervatione eruuntur ſolida fundamenta, quibus prævertendorum, depellendorumque morborum ars, quantum homini conceditur,

(23) Horſt. apud Malpigh. op. poſth. p. 219. ed. 1700. in 4to.
(24) Lib. 13. cap. 8.
(*) Vid. Boërhav. orat. de commendando ſtudio Hippocr.

tur, inædificetur. Æque enim ridiculum esset existimare, posse quem horologii vitia emendare, cui horologia prorsus ignota sint: & non posse id præstare artificem, quod elementorum quibus singula horologii instrumenta conflata sunt qualitatem, proprietates, vim intimius non comprehenderit.

88 Verum infelices hosce simiolos ab iis, quibus id negotii a republica datum est, coërcendos, prætereamus.

SECTIO III.

89 APoplexiæ igitur (quoniam ad alterum inquisitionis nostræ membrum devenimus) obnoxii quidem sunt omnes, qui spiritum ducunt. Nec sibi ita blandiri debet medicus, ut putet posse se certo pronunciare exstetne, an exstiturum sit in quocumque corpore vitium aliquod ex iis, quæ paulo ante memoravimus. Hoc agyrtarum esto. Innumeræ enim sunt causæ, quibus id, quod neque per divinationem futurum existimabatur, emergit improviso: Quas si quis in numerato se habere jactitet, aut rationis est impos, aut aliorum credulitate nequiter abutitur: *Præterquam quod turpe esset illum, quem improviso moriturum pronunciavimus, vel evasisse, vel lento morbo decessisse.* Quæ sunt insignis Lancisii in aureolo de subitaneis mortibus opere (25) verba memoratu dignissima.

90 Quandoquidem vero experientia animadversum est, quosdam sive temperatura, sive genere vitæ, sive ætate, sexu, exterioribus tentatos hoc morbo præ aliis mortalibus esse; hinc nos de iis paulo accuratius sermonem instituemus, quantum ad eorum habitum internoscendum conferre existimamus.

(25) Lib. I. cap. XX. n. X.

91 Ac primo subsunt apoplexiæ quidam ex vitiato seminio: quo fit, ut morbus iste videatur interdum fere gentilis, aut familiaris. Quod tamen nec perpetuum, nec frequens est, nec medicorum oculis pervium.

92 II. Generatim corripiuntur ii, quibus caput magnum, collum breve (in quibusdam enim quinque vel sex tantum aderant colli vertebræ) oculi rubentes, caligantesque, facies livens, vel præter modum rubicunda, corpus obesum.

93 Cum autem ea, quæ communia pluribus sunt, in disciplinæ commodam formam redigenda censeamus, exordiemur a temperaturis hominum, prout eæ a majoribus nostris dispertitæ sunt; ut quid ominosi in earum qualibet portendatur, præsciscamus.

94 Verum antequam ulterius progrediamur, animadvertendum hic loci cum Hallero (26) ducimus, existimandum non esse, mortales singulos in quaque earum classe exacte contineri. Temperies enim, quæ ex solidarum, fluidarumque partium proportione oritur, peculiaris cuique est, adeoque multiplex. Quoniam vero unamquamque describere, præsertim cum humores levi de causa vel momento immutentur, non esset possibile; certæ quædam classes constitutæ sunt, in quas conjicerentur ii, qui plura e signis, quibus illæ constant, & inter se discernuntur, præseferunt: ut artis præceptionibus facilitas quædam compararetur.

95 Haud ergo plus tribuendum classibus istis, quam ab eorum structoribus tributum est. Medicina enim versari debet non circa hominem generatim, qui nullibi est, sed circa unumquemque. Quod probe memoria tenendum.

(26) Prim. lin. physiol. med. ed. 2. n. 169. p. 101.

96 Con-

96 Contemplemur primo eos, qui plethorici vulgo appellantur (27)

Ii nempe sunt, qui ventriculo, intestinis, mesenterio, diaphragmate, musculis abdominis, succisque digestoriis valentibus, ætate plerumque media, præditi, cibisque succosis nutriti, cruore scatent, corporeque pleno, molli, venusto, colorato, vasis actioni liquorum minus resistentibus, fibris nerveis moderate intensis, & ad motum excipiendum, blandeque propagandum promtis utuntur; ita ut animo hilari sint vivido, agili, omniumque quæ sensus delectant, curioso.

97 Eorum vasa ob otium, victumque copiosum, si nimis replentur, venæ circa collum turgent, artus aggravescunt, torpentque, exiguum motum fatigatio consequitur, respiratio fit identidem difficilis, arteriæ temporales vehementer pulsant, urina est crassa, rubraque, somnus altissimus, longus, incendiorum insomniis turbatus: Quod medici *plethoram* morbum vocant, apoplexiæ haud raro parentem.

98 II. Biliosos. Quo nomine haud intelligimus eos, qui assumtis pinguibus, oleosisque materiam flammascentem eructant, sed ii, quorum corpus gracile, agile, robustum est, oculi, genæ, labia rubent, venæ amplæ, cruore copiosiori confertæ, pili, ut plerumque in Italis Hispanisque, fusci crispique, pulsus magnus, celer, fibræ nerveæ firmæ, sensiles, ad citatiores vibrationes promtæ, ingenium alacre, ad difficilia retrusaque tendens, ira præsens, audacia, confidentia, ambitio, rixarum somnia.

99 In utroque temperamento, si qua de causa ob nimiam fibrarum contractilitatem spiritus commoveantur, vel succi

(27) Vid. Verdriesium d æquilibr. ment. & corpor. p. 16.

ſucci jam acres acreſcant magis, rareſcantque, vel denique ſanctoriana perſpiratio minuatur, funeſta plenitudo facillime ſuborietur.

100 Scio fuiſſe olim & adhuc eſſe, qui novandi pruritu quodam ſtimulati ea, quæ de plenitudine ab Hippocrate, Celſo, Galeno, ceterisque ad hæc noſtra tempora egregiis medicis dicta ſunt, riſui habent, plenitudinem fieri prorſus non poſſe confidenter affirmantes. At bonos iſtos, ſi mente præjudiciis vacua, uſuque ſubacta pollerent, puderet, credo, tantos viros ſtoliditatis inſimulare: Ac ſi illi naturam, affectionesque humani corporis, quod ante oculos toto vitæ ſuæ tempore habuerunt, ignoraverint.

101 Verum de plenitudine in ea tractatione, quam ad umbilicum fere perductam de febre acuta, brevi, Deo volente, evulgaturi ſumus, latius differemus.

102 III. Phlegmaticos, qui propter fibrarum cum infirmitatem tum minorem contractilitatem, ſanguinemque fere aqueum glabri ſunt, pallidi, verſicolores, oculis palpebrisque tumentibus, labiis pallentibus, corpore laxo, pilis albicantibus, mollicellis, venis anguſtis, & latentibus, pulſu parvo, debili, nervis inertibus: Unde digeſtio lenta, urina aquea cruda, ſopor, aquarum ſomnia, extremarum partium frigus: mens torpens, ſegnis, hebes, ocii amans, impatiens laboris, obliviosa denique, meticuloſa, anxia.

103 Cum itaque humores in hisce hominibus convenienti proportione inter ſe nec diſtributi, nec ut decet uniti ſint, diſcurrantque lentiſſime, concreſcunt in grumulos cerebro exitiales.

104 IV. Atrabilares ſive melancholicos: Quorum fibræ infirmæ, ſed irritabiles, humores vero aqua deſtituti, terra-

terraque prægnantes, compactiles; color faciei, corporisque ater, habitus exsuccus, macer, pili fusci, vasa lateralia angusta, abdomen pice velut infersum, digestio laboriosa, animus intentus, morosus, difficilis, propositi tenax, suspiciosus, querulus, acerbus.

105 Hos haud difficili negotio sternit apoplexia, si sanguis velocius intra cerebri vasa actus exsiccatur.

106 Eapropter quæcumque humores vel augere, vel spissare, vel agitare, vel solvere, vel atterere valent, conferunt plurimum ad ciendam in prædisposito corpore apoplexiam.

107 Hinc lautus victus, animi securitas, exercitationes corporis intermissæ, somnus plenus, cœlum tenue, actuosæ fervente sole exercitationes, flammiferorum liquorum potus, Veneris œstrum furens, immodicæ maxime post epulas saltationes, febris æstuans, qua æger laborans Neapolis in Nosocomio, me præsente, ictu oculi interiit, perspiratio repressa, iracundia, vel plenitudinem amplificant, vel cordis motum ita accelerant, ut sanguis fere ebulliens copia æquo majori ad superiores partes trusus, cerebrum tam in sanguineis, quam in biliosis irritet, farciat, laceret.

108 Inde haud raro intemperantes vel in motu, vel in cibis, alioqui bene valentes, quod Attilæ contigisse fertur, apoplexia prosternuntur. Quin adnotante Wepfero e decem, qui sibi non parcunt, novem prædatrix abripit apoplexia.

109 Contraria quoque ratione eundem effectum pariunt cibi dulces, pingues, viscosi, frigidi, humore abundantes, male cocti, aquarum palustrium usus, cruditates e primis viis in sanguinem advectæ, evacuationes criticæ, consue-

 tæque

tæque ſuppreſſæ, vita ſedendo transacta, perſpiratio impedita, vividarum potionum diuturnus abuſus, mollis in agendo languor, metus denique ac triſtitia.

110 Quæ mortalium natura, ætate, morbis, inertium, vel quorum eſt plus quam concoquant aſſumere, infirmant humores, redduntque ad motum ineptiores, adeoque facile in cerebri vaſculis ſtagnaturos, exſudaturosque.

111 Narcotica, opium, boleti, nicotiana, crocus, carbonum fumus, muſti cereviſiæque fermenteſcentium vivida vis, humores rarefaciendo, ſtagnationem advocant.

112 Scabies, materies arthritica & exanthematica refluens in ſanguinem, enecant hominem e veſtigio, ut in retroceſſa podagra obſervamus.

113 Venenatæ item, peſtiferæque particulæ cerebrum interdum gangræna ſubita corrumpunt: ſive quod cerebri motum reprimant, ſive quod ſpiritus inficiant, ut artis noſtræ apud Anglos lumen Meadius ſuſpicatur (28) ſive quod pulmones aut convellant, aut inflamment ita, ut ſanguinem illuc figant pari modo, ac riſus immoderatus, qui pulmonem contrahens, circuitum ſanguinis illico ſuſpendit.

114 Epileptici, qui brevi interpoſita mora ſpaſmis vehementer tentantur, ſi in intervallis ſopore, ſtupore, hebetudine animi, & corporis detineantur, incidunt in hunc morbum: eo quod ſanguis a repetitis ſpaſmis fere indeſinenter actus cerebrum viciſſim ferciat, quo prorſus tandem compreſſo, ſpaſmisque ceſſantibus, aditus præbetur apoplexiæ.

115 Eumdem obitum obeunt non raro icterici, quorum ſanguis ſtagnationi aptus eſt.

116 Pa-

(28) De peſte cap. 2.

116 Parit apoplexiam & crapula, quæ ſtipatur nauſea, borborigmis, inteſtinorum doloribus, urinæ ſuppreſſione: Helluonum enim potorumque ventriculus nimium diſtentus, arteriam magnam deſcendentem comprimit; unde ex ſanguine uberius ad aſcendentem fluente, vaſa cerebri irritantur, & vel referciuntur, vel lacerantur: Quo incommodo ex medicarum aquarum uſu obeſos, præſertim ſenes premi obſervat accuratiſſimus Lanciſius. (29)

117 Diuturnarum animi ſive in litteris, ſive in gravibus negotiis, contentionum præmium haud inſolens eſt apoplexia: Sanguis enim meditatione conſtanti orbatur rore, ſeroque, quare per nervos ad ſpaſmos hac de cauſa diſpoſitos, cerebrum convulſioni, farctuique obnoxium fit.

118 Caſus ab alto, ictusve capiti inflictos, quin & ſupinum decubitum familiarem 30), ſomnumque immoderatum (31) conſequitur interdum apoplexia: Dolor quoque vehementior crucians eos, quibus corrupta membra abſciſſurus chirurgus lædit locum qui ſanus eſt.

119 Fœminis infert hunc morbum:

I. Uterus fœtu nimium tumens, qui idem agit, ac in helluonibus venter.

120 II. Affectiones hyſtericæ, quas præceſſerunt lumborum ſæpe dolor, borborigmi, ceteraque ſymptomata hisce incommodis familiaria; Licet ut admonuit immortale Angliæ decus Sydenhamius (32) hyſtericæ fœminæ apoplexia tentari ſoleant poſt partum, qui fuerit aliquanto laborioſior.

D 2 121 Puer-

(29) De mort. ſub. cap. XI. n. XVI.
(30) Alpin. de præſag. vit. & mort. lib. III. cap. III.
(31) Id. lib. I. cap. II.
(32) Diſſert. epiſt. ad Cole. pag. 104. ad venet. in fol.

121 Puerperæ quoque meminit Duretus (33), quæ ſuppreſſo ſanguine in puerperio interiit. Similium & Lanciſius noſter mentionem facit. (34)

122 Ætas, quam ex ſententia Hippocratis (35) apoplexia frequentius impetit, eſt ab anno quadrageſimo usque ad ſexageſimum.

123 Hoc tamen haud perpetuum eſt, nam infantes, licet rarius, ea quoque corripiuntur.

124 Senes vero frequentius, quorum ſanguis compactus eſt. Cum enim ii rigentibus membris ſint, vitamque ſedendo ut plurimum agant, hebetes ſunt, cibos lente concoquunt, idcirco liquida per cerebrum lente fluunt, ac facile ſtagnant, quam ob cauſam ejusdem viſceris vaſa mirum non eſt ſi obſtruantur.

125 Familiarius (36) pererrat loca paluſtria, humida, foſſilibus ſcatentia, ventis auſtralibus borealibusque per vices perflata, hyeme præſertim pluvia: cœlo nebuloſo, aut alternatim calente, ac frigente. E quibus cauſis pendent apoplexiæ, quas Baglivius (37) appellat *fere Epidemicas*.

126 Humores enim vario aëris pondere diverſimode habiti, rareſcunt facile, unde aucto motu, vel Sanctoriana perſpiratione repreſſa cerebrum ultra modum inflant, apoplexiamque conciliant.

SE-

(33) Comm. in Holl. lib. 1. de morb. intern. ad cap. 7.
(34) Lib. cit. cap. XI.
(35) Aphoriſ. Sect. VI. 57.
(36) Hippocr. de aër. aquis. & loc. & aphoriſ. ſect. III. 23. ; Celſ. lib. 2. cap. 1. ; Lanciſ. lib. cit. lib. 2. cap. II. III. IV.
(37) Diſſert. VIII. de obſervat. anat. pract. appendice p. 682.

SECTIO IV.

127 QUid apoplexia ſit, quæ eam excitent cauſæ, quos effectus pariat, vidimus: Secernamus eam modo ab omnibus aliis morbis, quæ illi affines ſunt.

128 Differt ergo I. a paralyſi, licet remediis fere iisdem utrique ſuccurratur. Omnes enim paralyſis ſpecies, quæ innumeræ ſunt (nam modo corpus integrum capite intacto modo dimidia corporis pars, modo brachia, pedes, oculi, aures, æſophagus, larynx, os, ventriculus, inteſtina, veſica, partes denique omnes nervis ornatæ occupantur) gignuntur a vitio nervorum ſingularium infra eorum originem, non vero ab univerſali cerebri compreſſione, quæ peculiaris apoplexiæ cauſa eſt.

129 II. A caro, quia etſi carotici eodem modo ac apoplectici profunde dormiant, ſuccuſſi tamen vel puncti, aut clamoribus excitati oculos aperiunt, puncta membra retrahunt, interrogatis etſi inconcinne reſpondent, & licet illico clauſis oculis profundo iterum ſomno corripiantur, haud ſtertunt, ſed libere reſpirant.

130 Unde patet in iis nervei liquoris influxum non eſſe prorſus interceptum, ſed tantum imminutum, ita ut fibrillæ nerveæ aliquanto tenſæ cum ſint, ab objectis valide, & vehementer impulſæ vibratilem motum ſuſcipiant, licet ſpirituum in nervos influentium inopia continuo ſubſidentem.

131 Quapropter levis tantum perceptio excitatur, quam anima nequit ſatis diſcernere, hinc reſponſa non cohærentia, & in ſomnum iterum prolapſus.

 132 Apo-

132 Apoplectici contra puncti, concussi, ustulati, motu, & sensu carent, perpetui somni imaginem præseferentes.

133 Differt III. A comate somnolento seu cataphora, cujus simptomata a caro discrepant tantum in eo, quod comatosus excitatus interrogatis apposite respondeat, etsi iterum in somnum, quemadmodum in caro, statim relabatur.

134 Tensio enim, seu nervorum vibratio diutius durat in comate, quam in caro, nam impressiones ab objectis receptas, & ad emporium translatas anima clarius percipit, de iis judicat & loquelæ ope per apta responsa aliis significat; somnus vero profundus ideo redit, quia spirituum defectu nervi paulo post relaxantur.

135 IV. A lethargo seu veterno, & I. quia is utplurimum est acutæ febris simptoma. II. Quia lethargici vi excitati oculos aperiunt, ac licet delirando, id est male de ideis perceptis judicantes, & incongrue respondentes, loquuntur tamen.

136 Etenim anima ad recte per sensus judicandum necesse est, ut accuratam idearum comparationem instituat, itaque eas aliquanto temporis spatio debet considerare, cui rei fibrarum emporii tensio, vibratioque necessaria est: per hanc enim ideæ & oriuntur, & permanent, & conferri inter se possunt.

137 Cum itaque in lethargo tensiones eædem fiant, sed diu non durent, hinc lethargicus judicii, quod mox tulit, obliviscitur, antequam ad id, quod prioris sequela est, progrediatur. Unde videmus, ut ii vix petita matula ad mingendum obliviscantur se voluisse mingere; quin & matulam dimittunt e manibus.

138 In

138 In hoc morbo interdum nerveæ fibræ ita laxantur, ut etiam morbo ſuperato priſtinum tonum ac vibrationem recuperare vix valeant; nam de iis, quæ tam in morbo, quam ante morbum egere, amplius non recordantur, ut pluries obſervatum eſt.

139 In apoplexia contra quamvis cerebrum inſerſum magis ſit, oblivio tamen tanta difficilius occurrit.

140 Differt item V. A ſyncope, in qua facies pallet, reſpiratio vel prorſus ceſſat, vel obſervatur admodum levis, & arteriarum nulli pulſus cum ſudore quandoque in fronte, ac cum extremitatum frigore.

141 VI. Tandem a ſuffocatione hyſterica, in qua nec partes ſunt prorſus reſolutæ, nec tactio ſublata; Etenim hyſtericæ punctæ vulſæque ſignificant ſe dolore affici: poſtque acceſſionem recordantur plerumque eorum, quæ ſibi acciderunt. Nec mulieris a Veſalio diſſectæ hiſtoria, ſiquidem vera eſſet, nobis refragatur.



DE

DE APOPLEXIA PARS SECUNDA

SECTIO I.

1 JAm vero ad prognosin: Solent vulgo congeri hic ea omnia, quæ de judicio Hippocrates, ceterique medici sparsim pronunciarunt. At quoniam isthæc seorsim sumta obscura sunt, propterea quod brevibus verbis comprehenduntur, quorum intellectus repetendus est a corporis ægrotantis præsentia, hinc mihi alia insedit sententia.

2 Ordiendum itaque censeo ab universi morbi historia, ut quid in quoquo morbi statu sperandum, quid timendum sit, perspiciatur illico. Inde fiet, ut quandocumque advocati simus, valeamus certo prænoscete, quid in nostra potestate habeamus, quid aliis polliceamur.

3 Haud enim medici officium est, ut plebs arbitratur, morbos omnes curare; Medicus namque, ut mortales ceteri, viribus naturæ subest, quas vincere pro arbitrio nequit.

4 Hinc si natura morbi validior fuerit, quam ut superari possit, haud plus fiduciæ collocandum in arte, ac in quacumque re vel vilissima. Id autem medentis officium est, dignoscere nempe, quando ægris opitulandum, quando contra a remediis propinandis abstinendum. Artifex enim temere judicans, quod utinam raro eveniret, infamat se, artemque.

5 Ea-

5 Eapropter Hippocrates prudentissime ait: (38) *Medicinam quidem esse, quæ in totum a morbis ægros vindicet, morborumque vehementiam obtundat: At quæ neque iis, qui a morbo victi sunt, manum admoveat, cum id medicinam præstare non posse probe constet.*

6 Itaque ne vulgi ludibrium fatuitate nostra fiamus (nam *qui*, ut Præceptor ait, (39) *prædictionis successum consequutus sit, apud prudentem ægrum admirationi erit: qui vero deerraverit, præterquam quod odio gravabitur, is ne insaniæ quidem suspicionem effugere poterit*) accuratam morbi hujus descriptionem proponemus, Bellini ordinem (40) sequuti: qui eam in signa, quæ præcedunt, comitantur, consequuntur, divisit. Eo enim fiet, ut corpus ab origine morbi usque ad exitum oculis medentium subjiciamus.

7 Nec quis a nobis expectet, ut ratiunculas, quare unumquodque accidat, conquiramus, quod in superiori parte exercitationis gratia fecimus. Turpe enim esset in re gravissima, ut ingenio velificemur fortasse nugari. Liberum cuique esto, in hoc verbis quam volet plurimis efficiendo laudem captare. Nobis de salute hominum tantum solicitis, erit satis Hippocratem, qui ad juvenilia isthæc nunquam descendit, imitari. Cujus viri beneficio, quotquot hactenus ægrotarunt, convaluerunt.

8 Apoplexiam igitur præcedunt

I. Somnus altus, cum incubo dentium stridore & ronchis: ut nosmet bis observavimus.

9 II. Defatigatione corporis nulla prægressa, dolor capitis vehemens, stimulans ad vomitum, perseverans diu, re-

E me-

(38) De arte §. IV.
(39) Libr. 2. prædict. n. 3.
(40) De morbis capitis.

mediis non cedens: Cujus rei funestum exemplum habeo. Præsbyter plethoricus cubiculum meum ingressus, ut ad diuturnum capitis dolorem opem a me peteret, dum loquitur, corruit repente exstinctus, ita ut frustra scalpellum ad sanguinem extrahendum eduxerim. In quo utrosque cerebri ventriculos sanguine quam maxime refertos cadavere dissecto observavi. Hoc tamen haud perpetuo apoplexiam prænunciat: Fœmina enim, quam curandam frustra susceperam, haud prius dolore capitis acerbo levata est, quam pus ex intimo oculorum, quos penitus exedit, eruperit sponte; quo facto integre convaluit.

10 III. Memoriæ antea felicis manifesta defectio.

11 IV. Caput obtusum: Sopor, maculæ muscarum specie, sine cataractæ aut amauroseos signo, oculis obversantes. Lachrymæ sponte fluentes; quandocumque ophtalmia, carunculæ lachrymalis erosio, morbus acutus absint. Epiphora gravior.

12 V. Vertigo tenebricosa cum stando, tum caput inclinando, stomacho haud oppleto, recursans. Senes ex cerebri, nervorumque decubitu cæci, si post hiemale solstitium noctu splendorem putent se identidem videre, facile cum Sol Taurum ingreditur, apoplexiam lethalem sentiunt. (41)

13 Inter legendum deerratio a linea, cum prius id non acciderit, & neque crapula, nec tabaci abusus præcesserint.

14 VI. Aurium susurrus, tinnitus, bombus, quos in loco humido, aut calce recenter obducto habitatio non procrearit.

VII. Balbuties, lingua haud vitiata; vox tarda; responsa

(41) Lancis. lib. cit. cap. XX. n. 7.

ſa impexa. Os diſtortum, ſatuitas vel nativa, vel ſubſequens. Epilepſia frequentior. Mæror, angorque animi conſtans.

15 Ut enim poſt Hippocratem Alpinus (42) obſervat, cum in iis, quos diuturnus morbus vexaverit, tum in iis, qui nondum ægrotant, ſonitus aurium plerumque magnum morbum portendit; præſertim ſi capitis dolor, gravitas, vertigo, vocisve tarditas, manuumve torpor ſimul vel poſt appareant; tunc enim apoplexiam, epilepſiam, oblivionem inſtare cenſendum eſt.

16 VIII. In deglutitione difficultas, vel ſtimulus ad tuſſim, nulla conſpicua faucium inflammatione, æſophagi tumore, vel convulſionibus, quales hyſtericis fœminis adveniunt: Dolor item in ore ventriculi cum præcordiorum diſtentione, capitis dolore, anhelituque.

17 IX. Animæ repetita defectio (43); alterutrius lateris imbecillitas cum torpore, qui ſine ulla partium compreſſione ac tumore recurrit. (44)

18 X. Intermediæ brachiorum pedumque partes ſponte viciſſim frigentes calentesve. Tactio depravata, manus in ſcribendo velox antea, mox minus obſequens.

19 XI. Corporis tremor ſpontaneus, præſertim in juvenibus, firmisque. Lumbago: a modico inceſſu laſſitudo: pedes infirmi, vacillantes, repentes. Poſt capitis vulnera contuſionesque rigor.

20 XII. Catoche, diuturnique horrores, dummodo citra febrim ſint, morbum hunc quandoque genuerunt.

E 2 21 Adno-

(42) De præſag. vit. & mort. lib. II. cap. 10.
(43) Hippocrates aphoriſm. Sect. II. 41.
(44) Galen. in coac. prænot. text. 476.

21 Adnotavimus hic singula, quæ instantem apoplexiam significasse observatum est. Haud tamen existimemus oportere, ut universa isthæc necessario coacerventur, ad futuri morbi prædictionem. Satis enim est aliqua ex iis vitiis sæpiuscule animadverti, ut cum ratione funestum quid suspicemur.

SECTIO II.

22 AD apoplexiam ipsam modo accedamus. Volentibus nobis eam describere, occurrit primo dubitatio quædam, utrum nempe conveniat illam in plura genera partiri, deinde quot sint ista genera.

23 Solenne veteribus fuit eam in sanguineam, & pituitosam discriminare. Malpighius (45) contra immortalis memoriæ vir distributionem hanc irrisit, quoniam id, quod vasis continetur, sanguis est, qui etsi eruperit, naturam suam non exuit.

24 At tanti viri, cujus doctrinam veneror, pace, Antiqui inique vapulant, opinor. Licet enim humorum nostrorum massa uniusmodi sit, partibus tamen natura inter se diversis constat, quæ facili de causa sejunguntur. Compertumque anatomicis est in apoplecticorum cerebro exstare congestiones humoris nomine sanguinis haud donandas.

25 Malpighium, quem nil fere ad humanum corpus spectans latebat, ignorasse id, quod aliis patuerat, absit, ut dicam. Itaque crediderim ipsum putidæ Galenicorum petulantiæ pertæsum irrisisse pituitam eam, quam in cerebri sinubus, veluti in propria sede, locarant homines isti, nec ausi dubitare, posse magistrum, quem ipsi elegerant, errare.

26 Quid-

(45) Oper. posth. pag. 219. ed Amstel. 1700. in 4to.

26 Quidquid autem de hac controversia sit, certum est divisionem hanc, quam ex temperamentorum varietate desumserunt observatores, plurimum ad curandum conferre: cum sanguineis diverso modo ac phlegmaticis succurratur. Hinc contemnenda ea non est, præsertim cum Baglivius noster (46) & deinceps multiplici scientia apud omnes gentes clarus vir Boerhavius (47) eandem calculo suo comprobarint.

26 Attamen quoniam cavendum diligentissime est, ut in arte omnia sint quam perspicua, ne tenebræ, si quæ nobis suboriuntur, humano generi perniciem afferant, experientissimi Hoffmanni, quem veluti Germaniæ nostræ Hippocratem Europa tota merito veneratur, distributionem (48) reor amplectendam.

28 Ad eam enim, ni fallor, referri percommode possunt universa, quæ in hoc morbo evenisse adnotatum est.

29 Prima igitur etiam a nobis spastica, altera serosa: tertia sanguinea appellabitur.

30 Uniuscujusque effectus ab origine ad exitum inspectabimus: Primo, quales sese produnt cum morbus sibi relictus agit sponte sua vi legum naturæ: dispecturi postea quid accidat, cum medicamenta corpori adhibentur.

31 Incipiamus a sanguinea, quo nomine intelligitur illa, quæ fit, cum sanguis diffractis cerebri vasis, eas propter causas, quas superius memoravimus, erupit.

32 Admonendi sumus in antecessum: id cuique commu-

(46) Praxeos medicæ lib. I. de apoplexia pag. 110. Noremberg. 1751. in 4to.
(47) Aphorism. de cognosc. & curand. morb. n. 1700.
(48) Med. rat. system. tom. IV. part. II. sect. I. cap. VII. & tom. IV. part. IV. cap. I.

ne eſſe, ut homo concidat inſenſilis, immobilis: Quod dictum volo, ne lectorem ſupervacanea ejusdem rei repetitione obtundamus.

33 Præcedunt eam interdum dolor capitis, vertigo, tinnitus aurium, ſimilesque ſanguinis in cerebro redundantis effectus, ſi quando tamen vitium eſt in ſolidis partibus, vel ſenſim ſuccreſcit. At ſi repentina quæ cauſa ſanguinem violenter ad ſuperna truſerit, prænuncia ſigna non conſpiciuntur.

34 Homo itaque corruit ore hiante, palpebris ſuſpenſis, genis rubentibus, turgentibus cum facie, tum illius vaſis, quæ, præſertim poſt mortem, disrupta ſanguinem ex ore, naribus, auribus fundunt.

33 Procedente morbo ſphincter ani veſicæ ſolvitur, excrementa, urinaque effluit. Oculi rigent quaſi vitrei, prominentque, pulſus languet, rareſcitque, reſpiratio imminuitur, ſubeunt ronchi fortiſſimi: Denique dentium ſtridorem utplurimum convulſionesque mors ſequitur.

36 Seroſam, eam ſcilicet, quæ ex ſero lymphave per propriorum vaſorum diſruptionem erumpente, vel per eorum poros exſudante in phlegmaticis, debilibus, ſenibus potiſſimum oritur, præcedunt vertigo, ſpeciatim pomeridiana & nocturna, ſcotomiæ conjuncta, torpores, hebetudines, balbuties, ſopor.

37 Qui ea corripiuntur, ſermonis uſu haud ſtatim privantur, tum artus flacceſcunt, frigentque: oculi quidem & os quandoque panduntur: At ſanguifera vaſa, quod illi peculiare, evaneſcunt, corpus faciesque palleſcunt, reſpiratio denique pulſusque variant.

38 Spa-

38 Spasticam seu eam, quam sanguis in plethoricorum, hypochondriacorum, nephriticorum, hystericarum &c. vasis subsistens advocat, ingruere admonent externorum sensuum imbecillitas, vertigo tenebricosa, artuum gravitas, tremor, torpor, affectiones denique hypochondriacæ, hystericæve graviores diuturnioresque.

39 Cum illa irruit, extrema corporis cum superna tum inferna frigent, cutis arescit, spasmoque constringitur, facies, oculique rubent, arteriæ valide, celeriterque pulsant.

40 Hæc est cujusque species: Quam qui intuetur, fieri non potest, quin primo inspectu, qualis morbus sit, a quibusque causis excitetur, ignoret.

41 Inquiramus modo, qualis sit earum exitus, ut via ad curationem sternatur, quo artis nostræ vestigatio omnis collimat.

42 Generatim refertur apoplexia ad morbos acutissimos: Cursum enim suum brevissimo tempore absolvit.

43 Quippe senes, potissimum plethoricos, desidesque, tum eos, quorum cerebrum a seminio, vel a morbo debilitatum est trium vel ad summum septem dierum spatio conficit, ut Hippocrates (49) Cæliusque Aurelianus (50) adnotarunt.

44 In ceteris vero citius tardiusve solvitur, prout major vel minor inest in quocumque corpore firmitas.

45 Sanguinea itaque difficile est, quin homines enecet. Fieri enim profecto nullo pacto potest, ut sanguinea vasa præcipue

(49) Coac. prænot. 187.
(50) Acutor. lib. II.

cipue arteriosa semel disrupta ita conglutinentur, ut sanguis sistatur, quique erupit, discutiatur e cerebro. Ii vero, quibus vasa sub calvariam di,rupta sunt, vitam solent ad aliquot horas protrahere. Contra quæ intra præcordia diffringuntur, hominem illico de medio tollunt.

46 Serosa quoque mortales *orcio tradit thesauro*: Attamen quandoque iis parcit, sive quod serum resorbeatur, sive quod per spinalem medullam derivetur, sive quod tantum non sit, ut cerebrum totum comprimat, vel saltem spirituum confectionem, distributionemque prorsus non impediat. Eos vero hemiplexia, graviori paralysi, oblivione, fatuitate, languore afficit.

47 Spastica plerumque post horas aliquot ultronea viscosæ materiæ vomitione, sudore universali copioso, urina, similibusque excretionibus abit, nulla plerumque sui relicta nota, vel tantum levissima in ore, lingua, aliisve corporis membris. Nisi forte vasa sciderit, ut in apoplexia ex epilepsia, quam persæpe mors continuo subsequitur.

48 Utraque tamen ita cerebrum infirmat, ut serosa tacti, quoniam nervi debitam sibi vibrandi vim recuperare non possunt, vel iterum æquinoctii, solstitii, aut novilunii tempore incidant in apoplexiam plerumque sanguineam, vel hydrope insanabili interimantur.

49 Alteri nisi sibi magnopere caverint, apoplexiæ adventum haud effugiant.

50 Placuit Hippocrati (51) apoplexiam in duos gradus dispertire, ut alteram diceret levem, difficile curabilem, alteram validam, quam curare non est possibile. Nobis vero quatuor illius gradus constituere Galeno auctore (52) visum est.

51 In

(51) 2. aphorism. 42. & 3. de loc. affect. 7.
(52) Commentarius in loc. Hippocr. citat.

51 In hos respirationis præcipue pulsus, coloris differentias, ceteraque symptomata, e quibus judicia de morbi qualitate, periculique magnitudine repetuntur, conferemus.

52 Quandocumque igitur respiratio liberior quadantenus est, pulsus ordine sibi succedunt, color faciei nativo propior, corpus calens, apoplexia *levissima* dicenda est.

53 Quod si respiratio ac pulsus inæquales sint, intermittantque, color immutetur, corpus frigescat, *levis* erit.

54 Si vero spiritus difficulter admodum trahatur, pulsus durus sit, variusque, color depereat, corpus gelascat, dicetur *valida*.

55 Denique cum nec respiratio, nec pulsus sensu deprehendantur, facies cadaver exprimat, frigidus erumpat sudor, spuma in ore appareat, sphincteres ani & vesicæ resolvantur omnino, ronchi sint vehementissimi, vel etiamsi ii supprimantur, tamen cetera eodem modo se habeant, *acutissima*, *validissimaque* apoplexia nominanda est.

56 De primis duobus gradibus bene sperare licet. Corpus enim haud ita prostratum est, ut medicamentis adjutum resistere morbo non possit.

57 In tertio tentandum quid est, ut saltem æger, si per nos potest, præsentem Libitinam evadat.

58 Quod si ad ultimum deveniatur, conclamatum est.

59 Quoniam vero immisericordes imperitæ multitudini videremur, si manum etiam deploratis admovere recusemus, caveamus, ne dum aliorum importunitati morem gerimus, imprudentiæ notam incurramus.

SECTIO III.

60 AD ægrum itaque ut accedimus, jubeamus eum locari in conclavi lucido ac tepente, corporis trunco, capiteque paulisper erecto, pedibus tectis.

61 Interea, siquidem commode id fieri poterit, inquiramus qua temperie, ætate, sexu is sit, quo habitu, quam vitæ rationem, dum valebat, inierit. Tum quæ causa morbum fecerit; quæ denique fuerint, Sintque vires.

62 Negliguntur sæpe hæc omnia, cum ab iis, qui in operiosiori anhelitu sollicitudinem suam collocant, ut inde stupenti vulgo diligentiores, si Diis placet, videantur: Tum ab iis, qui præsentissimum omnibus locis temporibusque remedium in medicamento quopiam, quod adamant, contineri arbitrantur. (*)

63 Quorum alterum est turpissimum, alterum stolidissimum: Utrumque certe prudenti artifice indignum, & summopere coarguendum.

64 Quis enim ferat hominem, (*) qui salutarem artem professus hac illac furenter discurrit, ut obvium quemcumque vel jugulet, vel ad minimum cornu impetat?

65 Talis enim dicendus est ille, qui Ardelionum more omnia, quæ ei in mentem veniunt, promit indiscrete, miscetque: Vel, quod pejus est, eadem formula plethoricos, phlegmaticos, juvenes, senes, mares, fœminas, acutos morbos, vetustos complectitur.

66 *Ali-*

(*) Vid. Boerhav. orationes.
(*) Ibidem.

66 *Aliter enim*, ut apud Celsum (53) nostrum est, *acutis morbis medendum, aliter vetustis: aliter increscentibus, aliter subsistentibus: aliter jam ad sanitatem inclinantibus: . . . quia non eadem omnibus etiam in similibus casibus, opitulantur . . . Estque etiam proprium aliquid & loci & temporis.*

67 Sollicitos eapropter convenit nos esse, ut inscientia arrogantiave nostra, neque reipublicæ, neque si hujus vindictam forte effugerimus: Deo omnia pervidenti obstringamur. *Si enim æger*, ut inquit Hippocrates (54) *propterea quod medicus morbum, vel recte non curet, vel non cognoscat, a morbo superetur, medici culpa est.*

68 Multiplices siquidem apoplexiæ causæ; multiplici itaque via tractanda quælibet. Nam sympathicæ curatu faciliores idiopathicis: istæ vero cum solidarum partium vitio vel nativo vel adventitio fiunt, censendæ sunt plerumque insanabiles.

69 Nos itaque, ut ista vitemus, circumspiciemus singula: naturam præsertim corporum; Ad eam enim accommodanda curatio est. Quia ut recte Celsus (55) alii *graciles, alii obesi sunt: alii calidi, alii frigidiores, alii humidi, alii sicciores: alios adstricta, alios resoluta alvus exercet. Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.* Hinc manifestum est illa, quæ sanguineo, biliosove prosunt, nocere phlegmatico, melancholicove, & vicissim.

70 Nihilominus illud Celsi (56) meminerimus: *Si nullum appareat aliud auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus; in hoc statu satius est anceps auxilium experiri,*

(53) Præf. lib. I.
(54) De affect. sect. V. Foes.
(55) Lib. I. cap. 3.
(56) Lib. II. cap. 2.

periri, quam nullum. Qua ſententia certe nihil prudentius: Quandoquidem ea cum judicio utamur.

71 In hoc morbo occaſio præceps eſt, & haud minimum commodi a promta celerique auxiliorum adminiſtratione expectandum.

72 Cum itaque ab inferſo cerebro apoplexia ortum ducat, potiſſima cura ſit, removere, quod fercit: Quo confert humorum imminutio.

73 Sanguinis ergo detractio, nulla interpoſita mora, inſtituatur. In hoc quantum præſidii cum hic, tum alibi ſit, oſtendit natura, ſuadet ratio, confirmat medicorum omnis ævi conſenſus.

74 Niſi forſan quotidianis experimentis, ſolidisque magni Bellinii (57) ratiocinationibus ex penitiori humani corporis ſtructura petitis, exſucca Helmontii, hominis certe ingenioſi, & in chymicis docti, ſed in anatomicis, & phyſiologicis delirantis phantaſmata in re tam gravi præferamus.

75 Copioſior certe ea debet eſſe: hinc vulnus ſit latiſſimum, quo ſanguis confertim effluat. Quantitatem e viribus æſtimabimus: Quod definiendum prudenti medico permittimus. Plethorici quidem, bilioſi, juvenes, quoniam ſanguine abundant, florensque corpus habent, expetunt largiorem.

76 Noſtris hominibus, quippe qui liberalius victitant, plurimum ſanguinis mittitur ſine præſenti noxa: Quo naturæ dono utinam vulgares medici, qui, bonis licet indignantibus, venas vel jlocaliter reſerant, non abuterentur.

77 Re-

(57) De ſanguinis miſſione.

77 Recuſant quidam ſanguinem mittere phlegmaticis, melancholicis, ſenibus, pueris, gravidæ mulieri: verentur enim, ne vires per ſe jam fractæ peſſumdentur.

78 At iis repugnat auctoritas, & experientia. Hippocrates (58) enim, Celius Aurelianus, (59) Aretæus(60), ut noſtros præteream, ubicumque morbus ſanguinem deſiderat, præcipiunt ut mittatur, nulla habita ratione ætatis, ſexus, vel temperamenti: Solliciti id unum monuiſſe, ut ægri vires exploremus; Ita ut nihilo plus detrahamus, quam ſine incommodo, homo, ſi valeret, pertuliſſet.

79 Quod obſervationi quotidianæ reſpondet. Videmus enim paſſim e naribus, hæmorrhoidibusque imbecillimi cujusque fluere ſanguinem ubertim, nulla virium dejectione ſubſecuta. Hinc nos nunquam dubitavimus, quandocumque caſus id tulit, cædere venas, felici non ſine eventu.

80 Neque deterrendi ſumus a pulſus ſive intermiſſione, ſive inæqualitate, ac ſi id vires proſtratas indicarat. Hoc nempe vanum eſt, niſi aliunde pateat vires periiſſe: Ut doctiſſimus, mihique, dum in vivis eſſet, amiciſſimus Petrus de Rotundis Reatinus Regiorum Hiſpaniarum Infantum olim Medicus animadvertit, dum ait: (61) *Si vires onere potius premantur, obſcurenturque (quod fere ſolet per morbi initia) audacter, modo res poſtulet, ſanguinem detrahe. Etenim hoc imminuto illas non imminues, ſed extricabis, excitabisque. Vires enim opprimit plenitudo ipſa, quique hanc conſequitur lentor, atque canaliculorum obſtructio. Exſolvunt, inedia, immodica qualibet exinanitio, longa vigilia, morbi tum vehementia, tum diuturnitas, aliaque ejusmodi evidentes cauſæ, item & maligni (ſic vocant) afflatus, rerumque venenoſarum vel halitus, vel conta-*

(58) De vict. rat. in acut.
(59) Lib. 2. cap. 10.
(60) Lib. 1. de cur. acut. cap. 4.
(61) De vict. rat. in febri acuta continua parte II. pag. 18.

contagium. Quæ quam ſapienter dicta ſint, intelligent ii tantum, qui ſincera artis præcepta, non in umbratili aliqua palæſtra, ſed in propatulo, interque ægrotantium ſordes, ſqualloremque perdidicerunt.

81 Ut denique hanc de quantitate ſanguinis diſputationem abſolvamus, proferemus Rotundii noſtra effata duo: ne quid in hac re ultra deſideretur. (62) *Si moderate langueant vires, ſed langueant tamen & expediat etiamnum ſanguinem detrahi, tantum paullatim, & per intercapedines detrahes, quanto ſatis propoſito facias, nec præcipites ſuperſtites qualesquales erunt. Si vere & funditus ea languent (quæcumque demum languoris cauſa fuerit) omnino abſtinebis: Loco vero mittendi ſanguinis tuum erit exquirere, quod rei præſenti convenire maxime conjectabis*: De his enim intelligendum cenſeo illud Celſi: (63) *Si omnia membra reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat.*

82 Circumſpecte itaque decet nos agere in efficaciſſimi hujus auxilii adminiſtratione: Nam ut magnus ille Lotharingus, a cujus elaboratis operibus ipſemet Boerhavius (64) ſe admodum adjutum fatetur, Nicolaus Piſo, pacis bellique artibus nobiliſſimo Principi ſuo Carolo II. Auguſti Magnanimi, Pii, Felicis Francisci I. Cæſaris Atavo præclariſſimo medicinam olim faciens, pronunciat conſultiſſime: (65) *Si plus æquo detraxeris, hominem jugulaſti: ſin minus, adhuc cauſa permanet: Magno ergo judicio opus eſt in modo conjectando.* Quod intelligentiſſimi viri oraculum, ubicumque de ſanguine agitur, præ oculis habeatur, volo.

83 De loco, qui ſecandus ſit, diſputatur. Sunt, qui anteferunt arterias, alii contendunt ſufficere venas. Plures toti

(62) Loc. cit.
(63) Lib. 3. cap. 27.
(64) Libri præf.
(65) De morbis cognoſcendis & curandis l. I. cap. XVI. p. 103. ed. Boerhav.

toti ſunt in deſignandis venis, ne receptæ inter medicos de revulſione derivationeque doctrinæ derogetur. Quid hac de re ego ſentiam, pandam paucis.

84 Arteriarum ſectioni equidem non repugnaverim. Subtrahitur per ipſas ſanguis, ita ut fluxio ad cerebrum, & inde enaſcens vaſorum irritamentum ceſſent: Unde fibræ depletione retenſæ contractilitatem recuperent, cujus ope actus ſanguis, qui in cerebro confluxerat, circumagatur liberius. At quam multæ eæ ſunt? Temporales vereor an prodeſſe tantopere poſſint: at amen quoniam maximus Anatomicus Heiſterus (66) ſecatas vult, pertundantur: Etiamſi ipſemet iis non multum tribuat. (67)

85 Remanent occipitales, & de facto has Anatomicorum, ut Senacius (68) inquit, ſupremus arbiter Morgagnus (69) ſecatas vellet. Recte quidem. Verum qui humani corporis ſtructuram callet, novit, quam difficile ſit ad tale auxilium pro opportunitate decurrere. Quod & ſapientiſſimus vir candide, ut ſolet, fatetur.

86 Propterea deſcendemus ad venas. Animus mihi non eſt increpare eos, qui ſaphenæ, medianæ, & ſiquidem arteria in tuto ſit, baſilicæ confidunt. Inciſio illarum certe fructu non caret.

87 Attamen nobis quærenda breviſſima via, qua cerebrum expeditiſſime depleamus, ut concretiones, quæ in duræ matris ſinubus fieri ſolent, avertantur.

88 Quid ergo obſtabit, quominus jugulares tundamus, poſt-

(66) Comp. med. pract. cap. XIV. n. 32.
(67) Inſt. chir. part. II. ſect. II. cap. 39. n. 4. adnot.
(68) De la ſtruct. du coeur. prefac. p. XIV. & tom. I. p. 81. 162, tom. II. p. 615.
(69) Adverſ. anat. VI. p. 108.

postquam egregius inter præstantissimos ætatis nostræ Medicos Freindus (70) sectionis hujus utilitatem rationibus anatomicis demonstravit : Ego sane id a Lancisio (71) cujus doctrina, dum addiscendæ Medicinæ causa Romæ commorarer, uti mihi fauste contigit, edoctus, nunquam quoties sese obtulit occasio, isthoc neglexi. Quod gratulor haud improspere mihi successisse, ac præsertim dum Rhætis ante hos viginti annos publicis stipendiis medicarer.

89 Haud incelebris enim apud Tridentinos Jurisconsultus apoplexia gravi correptus, quem vulgares missiones sanguinis non juverant, instituta tandem manu mea jugularium sectione, ornatissimo Tridentinorum Antistite ac Principe Antonio Comite Thunnio, honoratorum Fratrum Firmianorum avunculo, præsente, cum illico levatus est, tum brevi civibus suis est restitutus.

90 Cujus facti mentionem, cum propter meum erga amicum patriamque amorem, tum propter Hominum genere, doctrina, moribus, dignitatibus illustrium recordationem, ut mihi jucundissimam, ita gloriationis vitio tributum non iri confido.

91 Nec est, ut ab ea metuamus nescio quem futurum cerebri e subita depletione stuporem, siquidem ægro intentis oculis assideamus.

92 Jugularium tamen sectio, in obesis præcipue, difficilius perficitur : Ideo si minus hanc adhibere concedatur, præsto sint brachia, pedes, venæ frontis, nasi, ac præcipue sublinguales, quas utiles & Lancisius (72) & ego nuper experti sumus.

93 San-

(70) De febrib. comm. II.
(71) Vid. ejus libr. de morb. sub.
(72) Lib. cit. observ. I. IV.

93 Sanctum Medicis est rationem habendam quammaxime revulsionis, derivationisque; ita ut piaculum ipsis foret secare brachium antequam sanguis mittatur e pede.

94 Opinioni a veteribus haustæ, Bellinii (73) ratiocinationi suffultæ, medicorum calculo firmatæ contraire, periculo non vacat.

95 Etenim si adversus has præceptiones committatur aliquid, cui res non responderit, quod in ancipiti hoc morbo non raro evenit, fieri nequit, quin ab omnibus tanquam violatarum artis legum rei, condemnemur.

96 Propterea admonebimus dumtaxat medentes, ut quæ de revulsione ac derivatione Senacius (74) habet, perpendant sedulo: cum vita hominis, quo nihil pretiosius concessum mortalibus est, mereatur, ut etiam ea, quæ receptis sententiis adversari opinamur, examinemus.

97 Si sanguinis emissione repetito opus fuerit, vel quod vasa nimium turgeant, vel quod pulsus durus magnusque sit, ægerque non levetur, protrahere eam ultra tres horas a prima non licet. Tunc enim profuturam ad cerebri repletionem minuendam præter rationes, quæ hoc suadent, experientia propria edoctus sum.

98 Scarificatæ siccæque cucurbitulæ femoribus, pedibus, brachiis, occipiti appositæ prosunt quamplurimum. Quæ posterioribus thoracis partibus admoventur, damnata sunto, ea de causa, quod per eas exiguus, qui adhuc superest, musculis respirationi inservientibus motus penitus exstinguatur.

(73) De sanguinis missione.
(74) De la struct. du coeur, tom. I. p. 144. & 147. & anatomie d'Heister.

99 Testatur Hippocrates (75) attonitis hæmorrhoides si supervenerint, utiles esse. Idcirco hirudines, præsertim si ab hæmorrhoidum repressione apoplexia oriatur, applicentur sedi.

100 Quarum virtus tanta est, ut efficiant solæ id, quod scalpellum interdum vix potest. Nam applicitæ corpori universo attonitum, cui ob nimiam obesitatem venæ non exstabant, restituerunt. (76)

101 Filium quoque meum, qui medicinam modo facit, angina, nono ætatis suæ mense perstrictum, ita ut neque lac sugere, vixque spiritum trahere posset, tracto ex jugularibus sanguine, sanum reddiderunt.

102 Eas ergo commendatas volo in puerorum, gravidarum mulierum, quorumcumque denique ætate, sexu, morbo, minus valentium corporum curatione. Apponantur vero interioribus brachii utriusque partibus, jugularibusque venis, quot intentioni nostræ sufficiant.

103 Quæ, præter sanguinis missionem, faciunt ad imminuendos, derivandosque humores, sunt purgativa, balani, vomitoria: De his singillatim loquendum.

104 Purgativa etsi necessaria, non tamen omnibus eadem, vel eodem modo conveniunt: Cuique ergo per expertum medicum attemperentur. Nobis quid generatim facto opus sit, sufficiat indicasse.

105 Corpora igitur plethoricorum, phlegmaticorum, comedonum, quæ denique humoribus scatent, liberalius irritare oportet: Clysteria itaque parentur ex agarico vel co-
lo-

(75) Coac. prænot.
(76) Valesc. de Tarant. lib. 1. cap. 19.

locynthidis pulpa nodulo inclusa, coctis in aquæ fontanæ, urinæque partibus æqualibus, addito sale gemmæ, Benedicta laxativa, vel sale communi. Item alia e foliis sennæ cum suis stipitibus decoctæ, addito helleboro nigro, agaricoque trochiscato. Præferunt alii decoctum fiorum chamomillæ cum vino albo optimo, cui metallorum crocum infundunt.

106 Quoniam vero, quæ injiciuntur, stimulare valide debent, removebimus oleum. Nihil enim medicamentorum, quin & venenorum, acrimoniam retundit magis, ac pinguia & valde humida.

107 Contra: Si biliosa temperie præditum hominem ira actum vehementi apoplexia perstrinxit, cessare a purgativis, quæ mochlica vocant medici, penitus convenit.

198 Stimulos enim adderent fibris, spiritibusque, unde effrænatius in gyrum abriperetur sanguis, affatim deinde in cerebro stagnaturus.

109 Nocent ea pariter apoplexiæ, quæ nocturnis lucubrationibus, Venere, vigiliis, morbis confecta corpora pervadit: Purgatoriis enim vehementioribus nervi illorum, propterea quod exsucci sunt, efficerentur spastici. Utrisque igitur porrigito largas ptisanas laxantes ex cassia, tamarindis, mannaque calabrica, quæ biliosam acritudinem per inferiora averrant.

110 Purgationum tempus opportunum esto, cum primum sanguinem detraxeris. Hinc protollere hoc remedii genus nefas habeto.

111 Expedit autem clysteres infundere parcos quidem, sed frequentes, ut alvus repetitis stimulis irritata votis no-

ſtris obſecundet. Id enim propoſitum nobis eſſe debet, ut diarrhæam morbis capitis Hippocrate auctore (77) ſaluberrimam totis viribus provocemus.

112 Cui rei poſt adminiſtrata ſuperiora, aptas cenſemus purgationes ex Rhabarbaro, ſenna, caſſia, tamarindis, mannaque calabrica, addito electuario diacarthami, pilulis de ſuccino Cratonis, vel magiſterio mechoacannæ, unove, aut altero grano trochiſcorum alhandal. Eæ ſiquidem ſubductionem, quam priora inchoarunt, perficient ſucceſſive.

113 Accidit interea, ut ob æſophagi muſculos, anique ſphincteres prorſus reſolutos ægri deglutire nequeant, clyſteresque vel non poſſint injici, vel injecti ſi fuerint, effluant ſtatim.

114 Tunc etſi lethale ſignum appareat, non quidem decet animum deſpondere, inceptoque deſiſtere: ſed balanis manum admoveamus, quæ conficiuntur pulvere radicis jalappæ, ſale gemmæ ac melle:

115 Deſcribam hic ſuppoſitorium Piperi (78), quo ego utor. Recipe trochiſcorum alhandal, agarici trochiſcati ana drachmam unam. Hellebori nigri, foliorum ſennæ anadrachmam ſemis. Salis gemmæ, nitri, anaſcrupulum unum. Mellis quantum ſatis. Fiant lege artis duo ſuppoſitoria ſatis longa filis appenſis. Hæc renoventur identidem, ne inertia fiant.

116 De vomitoriis paulo ſuſius diſſeram: Quoniam id remedii genus per ſe ſalutare, ægros imprudenti medentium diſpenſatione frequenter evertit.

117 Hic-

(77) Sect. VII. aphor. 5.
(78) Addit. ad Mynſicht.

117 Hicce evacuationis per ſuperna ciendæ modus commendatur ſummopere in apoplexia a quibusdam, uſis auctoritate Riverii & Helmontii, qui tempeſtivis vomitoriis apoplecticos reſtitutos ſcribunt; tuenturque ſe nota illa Celſi ſententia, quam & nos paulo ante retulimus: in deſperato nempe caſu ſatius eſſe anceps remedium experiri, quam nullum.

118 Ego quidem experimenta Riverii, Helmontiique non inficior: Conſentioque Celſi dicto, quo nihil prudentius. At vellem. ut qui illorum patrocinio in hominum vitam impune graſſantur, animo ſecum reputarent, utrum id remedii genus in quacumque apoplexia ſit ita proficuum, quemadmodum ipſi ſesquipedalibus verbis jactitant.

119 Certum quippe eſt primo, ut elegantiſſimis Rotundii verbis utar: (79) *Haud tuto vomere eos, inſueti qui ſint, qui obeſo corpore, brevique collo & carnoſo, qui ventroſi, qui arcto pectore, qui difficile id anxieque ferunt; neque tutius eos, quorum venæ plenitudine diſtenduntur: Minus vero illos, qui ſanguinem vomere, vel extuſſire conſueverunt, vel alio quolibet pulmonum vitio laborant; quique oculorum graviori aliquo affectu conflictantur: ſiccoque & imbecillo ſunt capite: Sed neque ruptis, hernioſisque utilis hujusmodi curatio eſt: neque per hiemem facilis, niſi vel auſtrina tempeſtate, vel in tepenti, vaporoſoque conclavi.*

120 Quandocumque igitur metuimus, ne violento vomendi niſu parti corporis cuicumque debilitatæ noxam inferamus, jubet ratio, ut de vomitoriis propinandis non cogitemus.

121 Qui itaque illa proponemus in apoplexia, poſtquam ſcierimus oriri eam a cerebri vaſis, vel nimium tentis, vel ruptis? eritne in poteſtate noſtra vomitorium ita temperare, ut ventriculum, vicinasque partes convellat, cerebrum inta-

(79) De vict. rat. part. III. p. 104.

tactum relinquat ? nonne perspicimus inflari vomentis oculos, os, tempora, ut videatur disruptionis periculum validiori cuique imminere ? Turgentia itaque disrumpemus, disrupta dilatabimus, humoresque in cerebrum, unde eos evocandos susceperamus, propellemus.

122 Praeterea qui vitari poterit, ne ventriculus a vomitoriis actus, inflatus, tensus, aestuans premat diaphragma, pulmones arctet, cordis semitas, quas pervias esse convenit, perstringat, infelixque æger tot inter colluctationes, conatusque suffocetur : Præsertim cum partes internæ, si resolutæ penitus non sunt, irritamento, quod vomitorium in iis excitat, nequeant resistere ?

123 Eapropter detrimentosum isthoc in apoplexia pharmacum exulabit : Aut illud (siquidem adhibendum olim arbitremur) iis tantum reservabimus, qui phlegmatica temperatura sunt, aut apoplexia a crapula, intemperantiave orta perstringuntur, ut prudentissime post Baglivium (80) admonet humani corporis cum sani tum morbosi scientissimus Heisterus. (81)

124 Cui tamen haud concesserim emeticum, quo utemur, debere esse valens : Contra enim præferendum censerem illud, quod minus habet efficacitatis. Quod tamen, propter tanti viri auctoritatem, dixerim solum dubitanter.

125 Dum isthæc fiunt, excitandæ languentes vires sunt, spiritibus mobilitatem circuitumque impartiendo. Linguam itaque, palatum, & nares vividis illis remediis, quæ cum universa medicorum nostri temporis familia *volatilium* nomine placet designare, confricabimus.

126 Quo-

(80) Prax. med. lib. I. de apoplex.
(81) Comp. med. pract. cap. XIV. num. 33.

126 Quoniam vero plethoricis, biliosis, melancholicis, spasticæ demum apoplexiæ officeret id, quod fibras jam corrugatas convellendo cerebrum ferciret magis : Ideo inter volatilia seligantur temperatissima. Nos oleum, fumumve succini, vel ejusdem sal volatile ad aliquot grana optimo eventu adhibemus.

127 Phlegmaticis contra, inertibusque expediunt acutiora, cum interius, tum exterius. Qualia sunt, præter succinum, spiritus tartari compositus, liquor cornu cervini simplicis vel succinati, sal volatile viperarum, cranii humani, fuliginis, sal volatile oleosum Sylvii, castoreum, guttæ anglicæ, confectiones alkermes, de hyacintho incompleta : E quibus seligito, quod lubet, & quæ propinanda censes, aquis melissæ, menthæ, cinnamomi, salviæ, bethonicæ, immisceto, e cochleari identidem sorbenda.

128 Quæ valide ad sternutamenta invitant, removeto prorsus. Efficerent enim id, quod a vomitoriis, volatilibusque potentioribus metuendum esse præmonuimus.

129 His administratis remediis, si medicus adverterit colorem faciei nativo propiorem fieri, caloremque blandum per totum corpus percurrere : Si respiratio præsertim, pulsusque ad æqualitatem redeant, liberioresque percipiantur; Si his post triduum aut quatriduum sudor tepens corpora tota perfundens, vel urina copiosa, crassaque, vel hæmorrhoides sponte fluentes advenerint, bono animo esse decet. Navis enim vel in portu est, vel haud procul.

130 Ait Hippocrates. (82) *Quibus bene valentibus capitis dolores de repente contingunt, statimque voce deficiunt, & stertunt, intra dies septem pereunt, nisi febris eos prehenderit.*

Item.

(82) Sect. 6. aph. 51.

Item. (83) *In sideratis si febris accedat, solutio contingit.*

131 Hoc explicatione opus habet; nam ut immortalis memoriæ vir Ludovicus Duretus pronunciat, (84) sententia non est vera perpetuo.

132 Dicendum itaque, cum ephemeram, quæ vel sanguineo, biliosove sub morbi initium, tum acutam, quæ phlegmatico, quandocumque tamen in utrisque humor adhuc vasis continetur, supervenerit, posse apoplexiam solvere: At si humor extra cerebri vasa eruperit, ægrumve diutinus morbus fregerit, febris funestum morbi exitum portendere. Quod ab Hippocrate ipso est adnotatum his verbis (85) *Syderationes, quæ repente fiunt, si insuper febris exsolutionis in modum contingat, quæ diutius trahat, perniciem minantur.*

133 Ægris, si interea ad se redierint, porrigantur juscula dilutissima, quibus salvia incocta sit: Tum emulsiones seminum peoniæ masculæ addito nitro simplici, vel antimoniato. Item infusa ad theæ formam e foliis betonicæ, salviæ, pentaphilli, e floribus primulæ veris, tiliæ, liliorum convallium, pulveres item succini flavi, vel ejusdem sal volatile, camphora, castoreum, antimonium diaphoreticum, decoctiones quoque ligni visci quercini, radicis peoniæ masculæ, valerianæ sylvestris, una cum herbis vel floribus, quos recensuimus. Et hæc quidem in universum: Nam diluunt, roborant, dispellunt.

134 Biliosis, spasticaque laborantibus præsidio erunt omnia, quæ humificant, diluuntque, serum præsertim lactis.

135 Nec ipsis refugienda est gelida ad plures dies ubertim

(83) Coac. præn. sect. II. n. 479.
(84) In comment. ad hunc loc.
(85) Coac. præn. sect. II. n. 480.

tim epota, (86) cujus beneficio cum sanatos complures Neapolis, dum celebrata illa Nosocomia frequentarem, tum in hac avita imperii sede, quam Divum genus MARIA THERESIA AUGUSTA, omnibus ingenii ad regimen dotibus ornata, numine suo splendidiorem facit, hominem jam deploratum instanti fato subductum vidi.

136 Aqua enim pondere, fluxilitate, particulisque nitrosis, frigorificisque, quibus imbuta est, vasa dilatare, humores intimius pervadere, solidasque partes exstimulare valet: unde nil mirum, si id, quod intra vasa adhuc residet, illius ope dissolvatur.

137 Infirma corpora, si tamen morbo supersunt (quod raro accidit) reficito vividis cum cibis, potionibusque, tum medicamentis.

138 Si vero nondum excitetur æger, sinapismata e pulvere sinapis, ruthæ, nasturtii, allii, sapone veneto, ac fermento panis acerrimo plantis pedum; nuchæ vero, brachiis, femoribus vesicatoria ampla illinire conducit. Frictionibus etiam dolorificis, cucurbitulisque bene incensis corpora tota assidue distrahere, & hac illac manibus concutere, quin & capite erecto immotoque circumgestare succussando (87) confert haud parum.

139 Juvat interea hic loci providere, ne ea, quæ de frictionibus cantharidibusque diximus, fraudi cuipiam sint. Etenim prosunt quidem utraque phlegmaticis, serosæque apoplexiæ, in quibus humores cruore destituti vappescunt, fibrasque enervant; Unde stimulo indigent, ut motu terantur.

(86) Les vertus medic. de l'eau commune. vol. 2. in 12mo.
(87) Heist. compend. med. pract. loc. cit.

140 At contra in biliosis, & spastica, usus cantharidum suspicione haud caret. Horum quippe fibræ tentæ plerumque ultra modum sunt, præcipue cum apoplexia epilepsiam, convulsionesque sequitur; Periculum itaque est, ne eam muscæ hæ augeant, vel renovent. Idcirco aut ab iis temperandum, aut parce adhibendæ, idque postquam corpora dejectionibus iteratis depleverimus.

141 Superest nunc, ut de præsidiis, quæ medicina manu curans nobis offert, verba faciamus. Ea sunt *terebratio*, quam trepanationem vulgus vocat: Et ferri candentis admotio.

142 Terebræ ergo, modioloque tunc locus erit, cum ictus, contusio, lapsus, quæ apoplexiam genuere I. Calvariam vel depresserint, ut os, quod duram meningem urget, elevetur: vel fiderint, fregerintque, ut sanguis intus forte fusus, qui, propterea quod fissura angusta, vel tantum intima est, hæret, educatur, ne putrescat.

II. Calvaria licet inoffensa vasa interiora diffregerint, ut humor eruptus percolet.

143 Depressam calvariam tactu interdum deprehendimus. Fissuræ signa incerta sunt, multoque incertior locus, qui læsus est. Eruptionem internam conjectura prosequimur.

144 Quæ observanda, ut operatio isthæc rite fiat, non est hujus loci memorare: potissimum cum præclarissima artis chirurgicæ, Germaniæque nostra lumina, quorum operibus propter soliditatem, ordinem, elegantiamque valde delector, Heisterus (88) & Joannes Zacharias Platnerus (89) de

(88) Heist. inst. chirurg. Part. II. sect. II. cap. 41. n. 2.
(89) Platner. instit. chir. §. 552.

de ea scripserint tam docte copioseque, ut magnas illis gratias Posteritas omnis sit habitura.

145 Quibus viris Medici, qui Hippocratem imitantes, & chirurgiam, Medicinæ individuo vinculo conjunctam, colimus, id quoque debemus, ut artem hanc nobilissimam, & primam quam medentes exercuerunt, valeamus a ludibrio vulgi, qui eam cum balneatoria turpiter confundit, liberare. (*)

146 Liceat vero & mihi hic gratulari, tum quod cum prudentissimis istis Professoribus semper crediderim terebrationem, utpote ancipitem, periculosamque, tractandam & quidem circumspectissime, tunc tantum cum alia via, qua opitulemur ægris non suppetat; (90) Tum si nulla vitæ spes superfuit, in usu & mihi fuisse repetita, etsi fortuita, modioli applicatione caput perforare.

147 Ferrum candens, cujus efficaciam extollunt quidam (cauterium actuale vocant) cum adhuc juventa fervens tentarem ardua, consuevi coronariæ futuræ admovere: At quoniam spe mea pluries frustratus sum, nescio quid de illo statuam.

148 Adustionem quam Mistichellius (91) proponit, expertus sum nunquam. At Heistero (92) non respondit.

149 E ferramentis candentibus prope jacentis pedes locatis, id unum consequutus sum, ut pedes retraherentur parum, nullo tamen ægri beneficio.

H 2 150 Sar-

(*) Heister differt. de chirurgia cum medicina necessario conjungenda, & Platnerus præf. Instit. & in opuscul.
(90) Loc. cit.
(91) Della apoplessia.
(92) Inst. chir. p. II. sect. I. cap. 22.

150 Sartagine caput ustulasse, quod antiquis commendatum, quid prosit, ignoro, cum ea nunquam usus sim. Vereor autem, ne quid portet mali.

151 Hæc cum dubia sint, non ausim nec suadere, nec improbare. Si id lubet, periculum facito : at non sine ratione, ne tibi aliisque desis.

152 Si post hæc ronchi fortiores fiant, spumaque in ore appareat, pereundum certe ægro est. Nam id, quod Galenus (93) refert, vixisse quosdam, quibus spuma fluxerat, censeri potest, si minus incredibile, saltem rarissimum.

153 Illud vero, quod cum ab ipso alio in loco, (94) tum a Celso (95) narratur evenisse quibusdam, ut postquam dies integros sine ulla respirationis nota exteriori transegerint, tandem revixerint, verissimum esse testantur plures pervulgatæ historiæ, quas quoniam doctissimus Bruhierius (96) cum de genere humano, aureolo libello : tum speciatim de patria sua, Hoffmannianorum operum versione optime meritus, collegit, prætereo. Solum addam narratum mihi a viro fide digno fuisse, nobilem Florentinam matronam Nerliam adhuc virginem, dum in eleganti Falconeriorum Tusculano rusticaretur, uteri spasmo fuisse adeo perstrictam, ut triduo mortua, etiam a medicis, putaretur, quæ tamen ita revocata est, ut Rasponio nobili Ravennati nupserit, & ad extremam senectam pervenerit. Vidique egomet Tridenti hominem toti urbi notissimum, cui in aperto cæmeterio ob paupertatem sepulto, post duodecim horas rediit spiritus, vixitque adhuc annos ultra viginti alacer, & ad laboriosiora quæque servitia paratissimus.

145 Nec

(93) In commentar.
(94) 3tio de locis affect. cap. 7.
(95) Lib. 2. cap. 6.
(96) Dissert. sur. l' incertit. des signes de la mort. Paris. vol. 2. in 8vo.

154 Nec pluma ante nares, osque suspensa, nec aquæ vasculum pectori impositum, hisque similia, quibus ad explorandum, utrum respiret mortalis, uti nos vult eximius ille morborum pictor Jodocus Lommius (97) sunt ita certa, ut ægrum, ni hæc respondeant, interiisse affirmemus. Fieri enim potest, ut iis decipiamur.

155 Ignotum quippe non est posse cor, quod ad vitam sufficit, moveri ita, ut nullum suæ motionis indicium præbeat sensibus, vel acutissimis. Quod qua ratione fiat, haud novimus: nisi forte verisimile putemus feriari tunc a motu intercostales musculos, & diaphragma, pulmones vero tantum expandi, quantum satis sit motui cordis, & sanguinis conservando. Hoc tamen conjectandi causa protuli: Haud enim me latet, putare quosdam posse cor prorsus a motu cessare, iterumque moveri, si quæ adhuc illi remanent ad se movendum vires, quandocumque a qualibet causa rursus excitentur.

156 Hinc sapientissime Prosper Martianus, aliique vetant, ne corpora eorum, qui repentino aliquo casu perierunt, sepulturæ tradantur, antequam putrescere ceperint: Putredinem enim solam certissimum, imo unicum mortis indicium esse autumant. De quo argumento, propterea quod summo doctrinæ, eruditionisque apparatu egerunt Bruhierius (98) & Loüisius (*) verbulum non amplius eloquar.

157 Hanc autem rem commemorare necessarium duxi, quoniam alicubi homines ingenio tam levi sunt, ut nec biduo ferre queant aspectum ejus, a quo divelli nullo pacto posse paulo ante videbantur.

(97) Med. obs. lib. 2. de morb. atton.
(98) Loc. cit.
(*) Lettres sur la certitude. des signes de la mort. par Mr. Loüis. Paris chez Lambert. 1752. in 12mo.

158 Quæ huc usque protulimus, pertinent ad accessionem, statumque morbi.

159 Antequam vero remissionem dispiciamus, postulat a nobis muliebris sexus, ut illarum saluti consulamus. Cum enim eæ propter uteri contumaciam peculiari observatione indigeant, deessemus officio nostro, generique humano, cui ex iis jucunditas omnis promanat, injuriam inferremus, si negligeremus proferre id, quod earum levamento experti sumus conduxisse.

160 Fœminis igitur, quas uterus vel reddidit apoplecticas, vel male afficere solet, perspecta in antecessum cujusque temperatura, ita consulito.

161 In universum, quæ irritant, convelluntque, amoveto prorsus; membranarum siquidem cerebri, nervorumque motum stimulo suo foverent; unde convulsiones, quæ apoplexiam pepererunt, parereve possunt, invalescerent. Hinc clysteria irritantia, sinapi, cantharides tractare nefas esto.

162 Sanguineis itaque, biliosisque post detractum, quoad expedit, sanguinem, clysteria emollientia, castoreo immixto, deinde volatilia illa temperata, quæ superius laudavimus, opportuna usui sunto.

163 Præ ceteris vero apta hujuscemodi temperamento esto camphora cum succino in aqua peoniæ, cerasorum nigrorum alterave simili liquata: ut eorum imprudentiam vitemus, qui propinatis indiscriminatim aquis hystericis e gummibus, myrrha, salisque ammoniaci spiritu biliosas fœminas vel horrendum in modum cruciarunt, vel atra nocte persuderunt, quod dolentes recolimus.

164 Non

164 Non dubito fore medicos quosdam, qui me cachinnis excipient, quod camphoram tanquam pharmacum refrigerans commendem. Ex eo enim, quod illa ad ignem flagret, conjiciunt eam esse haud mediocriter calfacientem. At quid reponam istis ? Nil certe.

165 Suaserim eos tantum, ut Baglivium, (99) Trillerumque (100) ignota sibi nomina perlegant, qui camphoram in pleuritide, qua non pleuram tantum, sed & pulmones afsici incendio constat, præscribunt ; Quod Romanorum Nosocomiorum usu confirmatur, ubi binis, ternis, quin & pluribus granis sanatos ægros plurimos vidi egomet.

166 Præscire tamen eos decet, Baglivium apud omnes gentes haberi praxeos medicæ intelligentissimum, Trillerum vero eum esse, a quo artis nostræ parentem Hippocratem incorruptum, latinoque sermone sensa sua genuina tandem exprimentem universi, qui veram medicinam, bonasque litteras amant, exspectant.

Phlegmaticas stimulato vividioribus ; at ne noceas, caveto.

SECTIO IV.

167 REdeamus ad ægrum.

Si remissioni locus fuerit, exploremus, quali corporis habitu sit is, qui laboravit. Num quo corporis, mentisve incommodo percellatur. Quibusdam enim dimidium os, orique proximæ partes ; nonnullis alterutrum corporis latus, vel pes, brachium, linguaque tantum resoluta sunt. Plerisque mens vel stupet, vel prorsus fatua est, sopor quosdam

(99) Prax. med. lib. I.
(100) De pleuritide.

dam occupat, & recurrens vertigo. E noxa enim, quam quisque passus est, repetemus cum morbi prægressi vim, tnm inde sequutura.

168 Omnino itaque studeamus, ut turbatum corporis motum restituamus, tum ut, quod morbidæ causæ superest, expellamus, denique periculum, quod utplurimum misellis impendet, arceamus. Plures enim maxime senes ad se redeunt, qui tamen persæpe septem post dies pereunt: Quo pacto optimus parens meus decessit. Quidam circa æquinoctia, æstatemque, nonnulli post annum, alii post longius temporis spatium denuo percelluntur. Quod fatum, cum pendeat ex interiori solidorum morbo illata læsione, pervidere medico nisi obscure concessum non est.

169 Ut primum igitur apoplexia recessit, reficiamus ægrum jusculis ex avibus, in quibus hyssopus, serpillum, intubus, salvia incocta sint. Potui sit hydromel vel oxymel ab antiquis commendatum.

170 Tum materiem, quæ in ventriculo, intestinisque conclusa latitat subducamus, vel vomitorio unice ex ipecacuanha, si id expedire ægri status monet, vel fortasse melius purgativis lenibus, rhabarbari nempe drachma una, nitri, pulverisque antispastici drachma semis, prunis laxativis, magnesia nitri, similibusque haud acriter stimulantibus, quibus septimo quoque die utendum. Notum scilicet cuique est ad impediendos capitis morbos eximie prodesse dejectiones.

171 In quo tamen cavendum, ne phlegmaticis manna, biliosis aloes exhibeatur. Laudabantur olim pulvis cornachinus, qui non despiciendus: dummodo in eo diagridii modus augeatur, aut pilulæ de succino Cratonis.

172 Quæ

172 Quæ acredinem inteſtinis hærentem retundunt, & laxata alvo præſcribuntur a quibusdam, ſunt oculi cancrorum, conchæ præparatæ, pulvis marchionis, nitrum, ſuccinum præparatum, cinnabaris, tartarum vitriolatum, arcanum duplicatum, cum tantillo caſtorei in aqua florum chamomillæ, meliſſæ, menthæ, ad dies octo vel decem ſumenda.

173 Hæc haud improbaverim, dummodo cancris, margaritis, pretioſisque hujuſcemodi nominibus mirificam neſcio quam facultatem, ut vulgo fit, haud tribuamus. Quod fruſtra a me dictum nolim.

174 Video enim: ut hoc obiter advertam, magnifieri iſthaſce merces, præcipue in ſebribus, ac ſi ad eas debellandas valerent plurimum, quoniam caro veneunt.

175 Ego ſcilicet aſſentior Rotundio ita ajenti: (101) *In iis autem, quæ adeo pervulgata, & pene quotidiana ſunt, cancrinis teſtis, cryſtallo, margaritis, aliisque, quorum nuper meminimus, moroſus, frigidiorque aliquanto ſum; nam de eorum utilitate, utique in febre, nihil adhuc certi ſtatuit experientia: ratio contraria ſuadet. Hincque eſt, quod ſuſpicer, citeriores medicos iſthæc invexiſſe in febris curationem, non tam ut utilia afferrent, quam ut nocentiora exturbarent; Etſi non ignoro, quod eſſe interdum locus & iis poteſt, & eſſe, ubi utilia evidentiſſime deprehenduntur. Quod nec latuit antiquos, quorum improbo labori, ſagacique induſtriæ, nihil aut parum eſt, quod non poſteri debeamus.*

176 Stomachum & caput roborant, meliſſa, ſalvia, mentha, corticum aurantiorum eſſentia, ut vocant, ſpiritus nitri dulcis aquæ infuſus, elixir ſtomachicum temperatum. Horum uſus diuturnus ſit, nam ſtomachum brevi temporis ſpatio roborare, non eſt ut ſperes.

I 177 San-

(101) de vict. rat. in febr. acut. part. III. p. 136.

177 Sanguineis, biliosis, melancholicis exhibito, quæ diluunt: nempe serum lactis, emulsiones, nitrata. Placent quibusdam pulvis de Gutteta Riverii, vel succinum flavum præparatum, in decocto ligni visci quercini, foliorum betonicæ, florumque primulæ veris ante novilunium, plenilunium, quin & singulis lunaris conversionis quadrantibus hauriendum. Selteranæ, item ac Spadanæ aquæ.

178 Phlegmaticorum torpentem spiritum excitato potionibus aquæ è melissa, peoniaque, sale volatili succini, liquoreve cornu cervini imbutæ: jusculis quoque salviæ, betonicæ, primulæque veris incoctione infectis.

179 Volatilibus omnibus, quæ in hisce temperamentis conducunt, præpono ego sal volatile viperarum. Etenim maxima illum pollere efficacia expertus sum pluries, ac præsertim in homine, quem vires è tertiana duplici jam debellata prostratas ausum mero recuperare, catalepsis spuria perstrinxit. Salis enim istius virtute tridui spatio convaluit.

180 Nec despicienda, ut quidam superciliose faciunt, è viperis ipsis confecta decocta. Experimentis enim pluribus cum doctorum hominum, tum meis comprobata sunt.

181 Conferunt iisdem & ea, quæ sudorem eliciunt, decoctum nempe sasafras, radicis valerianæ sylvestris, salsæparillæ, ligni guajaci, juniperive. Aquæ item carolinæ, spadanæ, ægranæ, viscerum obstructionibus, si quæ sint, ante discussis.

182 Tum ad fibras firmandas, digestionem promovendam, cruditates avertendas, chalybem ingerito, sive sit mars ipse, sive tinctura martis cum succo pomorum, aut tartarizata Zwölferi, aut crocus martis aperitivus, aut tandem peruanus cortex, cujus usum, præsertim in gangræna, præstans

Bono-

Bononienſis Inſtituti Sodalis Molinellius ſummopere illuſtravit. (102)

183 Invaluit abuſus, ut quoniam thermæ ſulphureæ quosdam juverant, ad eas inconſulto quicumque amandentur. Rem certe mortalium plurimis exitialem. Eæ ſiquidem, quantum phlegmaticis infirmisque fibris proſunt, tantum ſanguineis bilioſisque obſunt.

184 Bis enim, ut domeſtica proſeram, Badenſes aquæ, dum illis valetudinis cauſa me abluerem, pollutæ ſunt deceſſu repentino eorum, qui aquis innocue perlui ad arbitrium ſe poſſe ſibi infauſto perſuaſerant. Thermas itaque, niſi inſpecta diligenter cujusque natura, ne conſulito.

185 Veteres medici ad paralyſin, quæ plerumque apoplexiam revocat, commendant, ſtillicidia, frictiones, exaſperationes cutis, aduſtiones, ſanguinis ex ſideratis membris miſſiones, aliaque apta motum parti reſolutæ conciliare.

186 Nobis tamen ſperandum eſt plurimum boni allatura experimenta ea, quæ de reſtituendis electricitate reſolutis corporis humani partibus à viris doctis Pivato Venetiis, & Verato Bononiæ vetuſto ſcientiarum domicilio, cui nupera Laudatiſſimi Bruckeri laudatione (103) haud mediocre decus acceſſit, tentata, perficiuntur apud nos à percelebri Joſepho Frantzio è Societate Jeſu bonis litteris excolendis promovendisque nata, qui Cabæos, Kircheros, Lanas, Fabros ſuos clariſſima exploratoriæ Phyſices lumina ſecutus, nihil ex iis, quæ ad corporum ſcientiam experimentis ampliandam conferunt, intactum relinquit: ut quod ipſe labore improbo detexit, in bonum auditorum, qui frequentes ad eum confluunt, urbisque noſtræ ornamentum cedat.

(102) Comm. Inſt. Bonon.
(103) Epiſt. dedic Inſtitut. hiſt. Philoſ. Lipſiæ. 1744. 8.

186 Haud prætermiserim hic adnotare virum maximum Valsalvam, cujus memoriam recolam quoad vixerim: propterea quod ab eo in anatomicis rebus, ante hos triginta quatuor annos, Bononiæ institutus sum, observasse (104) *illos affectus apoplecticos, in quibus altera medietas corporis resoluta est, pendere a læsione alterius medietatis cerebri: hac tamen ratione, ut si medietas corporis resoluta sit, adsit læsio in dextro cerebri hemisphærio: Si vero dextra, in sinistro*: Quas observationes, ad curandum summopere proficuas, perdocte, ut solet, Morgagnus noster in Præceptorem pientissimus illustravit. (105)

187 Maximum ad prævertendam apoplexiam præsidium situm est in opportunis sanguinis detractionibus, in sanguineis scalpello, & in iis, quibus hæmorrhoides fluere ante solebant, hirudinibus.

188 De hisce supervacaneum est hic loci verba facere, cum servanda examussim sint ea, quæ superius monuimus.

189 Id vero pernecessarium est meminisse. Observatur nempe constanti medicorum experimento; mittendum esse sanguinem antequam sol dies æquet noctibus.

190 Nonnulli, qui sententias sibi ignotas, aut non intellectas subsannando, philosophi haberi volunt, ringent, dum audient mentionem a me fieri de sole lunaque: ac si ipsi saperent, cæteri cæcutirent.

191 Scimus & nos, non ea potestate prædita esse sidera ista, qualem illis tribuerunt veteres.

192 At num ideo, quia illi quandoque somniarunt, licebit doctis viris omnia referre inter aniles fabulas, postquam

(104) Tract. de aure, cap. V. n. 8.
(105) Epist. anat. ad scripta Valsalvæ.

quam Meadius, (106) quæ de solis lunæque in humana corpora Imperio vera sunt, quæ probabilia, quæ denique falsa, tam docte disseruit?

193 Quæ ad reversuram apoplexiam præpediendam ex arte consuluimus, irrita putato, ni scrupulosam vivendi rationem religiose sectentur ægri. Omnia enim, quæ proposuimus, eo tendunt, ut humores compescant, ne ii ferocientes cerebrum iterum proculcent. Eapropter si quid vel minimum in vita peccetur, latentes morbi scintillæ erumpent illico in incendium, unde æger absumatur. Temperantia enim adeo pollet, ut per eam mors ab aneurismatibus, varicibusque internis impendens evitetur, ægrique post annos plures lento morbo tandem conficiantur. (107)

194 Si luce itaque diutius frui volumus, volumus autem omnes, abstineamus sedulo ab iis, quæ eam nobis eripiunt.

195 Mensa levibus, coctuque facilibus cibis instructa reficiat tantum: Quæ nimium nutrit, nocentissima quippe est. Pullos, oviculas, hædos cariophyllis, cinnamomo, majorana, salvia, rore marino, nuce muscata ad stomachum leviter conditos, edito. Succosa, acida, salita, viscosa, incocta, dulcia, pinguia, calfacientia, olera, fructus vetita sunto.

196 Phlegmaticorum, debiliorumque sitim modico vini austeri, Rhenani nempe Burgundive, aqua selterana multa demerso: Sanguineorum, biliosorumque aqua restinguito: Vel, eam si minus ferant, corticibus aurantiorum roborato.

197 Corpus ambulationibus, frictionibus, succussionibus, mode-

(106) de imperio solis & lunæ.
(107) Larcis. libr. cit. cap. XXIII. n. 7. 8.

moderatis tamen, ne nimium vel fatigetur vel æstuet, exerceto. Currum apertum frequenter conscendito.

198 Aërem purum, campestrem, dium quærito. Palustrem, ventosum, varium, humidum, corruptum sordibus, uligine, exhalationibus vitato.

199 Membra neque vigiliis dissipato, neque somno hebetato.

200 Diei noctisque munia distribuito: Statuta quæ sunt, ne violato. Legibus enim obligari, quod sanis hominibus, qui bene valent, esset inutile, infirmis est prorsus necessarium.

201 Præ ceteris ab ira, metu, tristitia, voluptatibus temperato: Quæ ut ratione utentibus indecora, ita mortalium valetudini infensissima.

SECTIO V.

202 Exposuimus summatim, quid facto opus sit, ut apoplexiæ obsessis succurramus, cum in ipso morbi accessu, tum in ejus recessione. Dicendum modo aliquid videretur de gravissimo isthoc morbo arcendo ab eo corpore, quod hactenus intentatum quidem est; at tentari posse suspicamur: Cum nostrarum partium sit non morbum tantum, sed & id, quod morbum efferre valet, eradicare.

203 Quoniam vero eadem arma exserere necessum est, cum periculum primo ingruit, ac eum ejus reversio timetur, iniqui essemus lectoribus, si putaremus eos ingenio tam bardo esse ut in rem suam, quæ in medium attulimus, transferre non valeant.

204 No-

204 Nobis certe ea, quæ ſemel diximus, repetere, niſi id perſpicuitas poſtulet, cum ſupervacaneum, tum moleſtum, quin & riſu dignum exiſtimamus.

205 Pauca ergo ſubjungemus, quæ ad judicationem inſtantis apoplexiæ pertinent.

206 Apoplexia ex nativo, adnatove partium ſolidarum vitio nec pervideri, ſi dolor capitis abſit, nec præverti poteſt.

207 Illi, quam vulnus, concuſſio, compreſſio exterior, convulſiones, fluidarumque partium vitia effectura ſunt, manum admoveto: Nam medicinam non reſpuit.

208 Sanguineos, bilioſos, juvenes, loca ſana incolentes, facili opera ſanos reddes.

209 Phlegmaticis contra, melancholicis, ægritudinibus, morboque affectis, ſenibus, hyſtericis, noxia loca habitantibus, nihil proderit ars, niſi patiens laboris ac moleſtiarum animus acceſſerit. Meminerimus tamen Lanciſii (108) monitum prudentiſſimum: Cum ne timidos ægros de periculo aperte admoneamus: Tum ne ſtrenuos periculorumque contemtores remiſſius alloquamur. Alteros enim mærore, alteros præfidentia jugulabimus.

210 Venimus tandem ad extremum diſputationis noſtræ. Antequam vero legentes dimittamus, vituperatoribus ſimplicium medicamentorum reſpondebimus paucis.

211 Ipſi enim, propterea quod immenſis diſpenſatoriorum, Receptariorum, Pharmacopæarum voluminibus hallucinati putant in prolixis Pharmacorum deſcriptionibus validiſſima vitæ præſidia, certiſſimaque morborum omnium antidota

(108) lib. cit. cap. XI. n. X.

dota contineri, temnunt medicinam, vulgaribus tantum, simplicioribusque remediis confidentem.

212 Nec putant, posse quem haberi artificem, nisi is sit, qui arcessitis ex universo orbe, chymicorumqne fornacibus, & in unam massam conflatis radicibus, pulveribus, foliis, metallis, gemmis, animalibus formulas scriptet longas, sumtuosasque.

213 Infelices ergo gentes vetustissimæ, deploranda cum Ægyptiis artis conditoribus universa Asclepiadarum familia, qui herbis, quas in nativo solo severat natura, vitam protrahi, morbosque depelli posse existimastis, eo quod splendida nostrorum temporum sapientia caruistis!

214 *Quantum est in rebus inane!* Quæ posita ante omnium pedes in utilitatem nostram a providentissimo Deo sunt, præterimus fastidiose, etsi experimento multiplici probata.

214 Malumus vero calfacientes refrigerantibus, acria, amaraque dulcibus, peregrina ignota miscere; non quidem ut mortalibus opem feramus, sed ne parum multa scisse videamur.

215 *Artem experientia fecit exemplo monstrante viam.* (*) Remediorum simplicium potestatem, quam ad communem usum detexit casus, cognosceremus magis, nisi stolide cujusque rei vim temeraria commixtione infringeremus.

216 At Celsum afferunt dicentem (109) *differre pro natura locorum genera medicinæ. Et aliud opus esse Romæ, alind in Ægypto, aliud in Gallia.*

217 Be-

(*) Manil. astronom. lib. 1. v. 61.
(109) Præf. lib. I.

217 Bene est: Ecquis negaverit infirmiora, quæ sunt corpora medicinam, robustioribus conducibilem, respuere? Nec ignorant vel tirones pro varietate cœli, terrarum, alimentorum variari cujusque temperaturam: ut Hispanum jugulet calfaciens, quod Germanus assumit utiliter.

218 At quid hoc ad simplicia? num desunt inter hæc, quæ cujusque naturæ accommodemus?

219 Inutilem & instituto meo alienam operam susciperem, si singula enumerarem. Norunt ea, ut de nostris loquar, Hallerus, Hebenstreitius, Heisterus, Erhardtius, Gesnerus Botanices expertissimi, & cum iis omnes, qui non ex circulatorum penu, sed ex ipsa rerum natura sapiunt.

220 At inquiunt Germanorum nostrorum torosa corpora dimetienda non sunt exsuccis Italorum artubus. Compositis itaque medicamentis ea ni stimulaveris, nil efficies.

221 Ego sane reprehendere non audeo compositiones, quas consummati in arte professores perspecta cujusque remedii natura excogitarunt vel laudarunt. Quin illis, si quando occasio ferat, utor audacter, cum nihil aliud quæram, ac ægrorum salutem. Nec enim malevolus sum, nec supra ceteros me arroganter effero. At isthæc pauciora opinione nostra sunt: nec omnibus respondet semper effectus.

222 Contra vero non tantum in Italia, cui medicinæ scientiam debeo, sed novem integris annis apud Rhætos, totidem Græcii, ubi publico quoque ære artem feci, denique ultra decennium hic loci, quo ex universa Germania mortalium plurimi confluunt, usum me simplicibus frustra fuisse non recordor. Ita ut si quid boni hisce triginta annis, quibus aliorum valetudini tuendæ operam meam locavi, præstiterim reipublicæ, unice illis acceptum feram.

223 Atqui si experientia mea nihil habitura sit ponderis, ablego eos, qui aliter sentiunt ad elegantissimam Hoffmanni nostri exercitationem *De remediorum domesticorum praestantia* : ut inde discant vitæ fortunisque civium tandem parcere.

224 Quod si nolint ab instituto suo recedere (& profecto impressas memoriæ formulas sine hæsitatione conscribillare ducit compendiario ad celebritatem) *desinant* saltem *maledicere, malefacta ne noscant sua.*

225 Lubet autem hic loci, ut peccandi occasionem omnem summoveamus, gravissima Celsi (110) verba describere. Quibus præcepta de medicaminum qualitate, usuque comprehenduntur : *Illud ignorari non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniunt. Ex quo incidit, ut alia atque alia summi auctores, quasi sola venditaverint, prout cuique cesserant. Oportet itaque, ubi aliquid non respondet, non tanti putare auctorem, quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud. Sic tamen, ut in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodest : in longis, quos tempus, ut facit, sic etiam solvit, non statim condemnetur, siquid non statim profuit : minus vero removeatur, si quid paulum saltem juvat ; quia profectus tempore expletur.* Felices ægri, si medentium animis talia insederint !

226 Apoplexia ergo, ut in pauca disputationem nostram contrahamus, morbus est atrox, quo subitario vel perit homo, vel pulsu ac respiratione vigentibus motu, sensuque privatur, propterea quod spirituum secretio, distributioque cum a solidarum tum a fluidarum partium vitiis intercipitur.

227 Quam concessum est præcavere, & curare, si minus ut volumus, saltem ita, ut interitu in aliud tempus artis ope dilato boni cives habeamur, & simus, & medicinam ab indoctorum calumniis vindicemus.

228 In

(110) Lib. 3. cap. I.

228 In ea cum describenda, tum curanda auctores habui primores ab Hippocrate ad nostram ætatem medicos. Si quid valui in eorum sententiis rite deligendis, disponendisque, non ingenio, quod in me est exiguum, sed constanti exercitationi tributum volo.

229 Si quid vero minus veritati consentaneum mihi præter voluntatem exciderit, quod homini nihil humani a se alienum putanti est facillimum, profiteor me Halleri candorem imitaturum, qui in egregio libello, (111) quem modesto primarum linearum physiologiæ titulo insignivit, non dubitavit conceptis verbis a Præceptoris sui dogmatibus, quæ voce, scriptoque viginti annis docuerat, recedere: Dummodo recte, & ut litterarum cultores decet, urbane admoneamur.

230 Haud enim tantum otii nobis superest, ut bonas horas perdere nugando velimus. Ad convicia vero descendere indignum prorsus medicorum moribus, quos Hippocrates vult graves, compositosque esse, existimamus.

(111) Præf.

FINIS.

